3. 4. 522

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DELECTUS
OPUSCULORUM
MEDICORUM
VOL. IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

DELECTUS

OPUSCULORUM

MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM.

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum
notis hinc inde aucta recudi curavit

IOANNES PETRUS FRANK M. D.

*Facultatis Medicae per Inſubriam Austr., & Nosocomii
Ticinensis Director, Medicinae Clinicae in Reg. Acad.
Ticinensi Prof. p. & o. Academ. Scient. Reg.
Goetting., & Electoralis Moguntinae, tum
Societatis Patriot. Mediolan. Sodalis.*

VOL. IV.

TICINI

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXVII.

Digitized by Google

ELENCHUS.

I.) *Io. Petri* FRANK, *Oratio de venae ſectionis apud puerperas abuſu.* Pag. 9--29

II.) *Io.* WELTI, *Diſſertatio de exanthematum fonte abdominali.* 30--123

III.) *Io. Petri* WEIDMANN, *de necroſi oſſium adnotatio.* 124--143

IV.) *Caroli Gaſpari* SIEBOLD, *Io. Georgii* SCHERER, *Diſſertatio inauguralis.* 144--251

V.) *Auguſti Friderici* WALTHER, *Diſſertatio de obeſis & voracibus eorumque vitae incommodis ac morbis.* 252--303

VI.) *Io. Petri* FRANK, *Oratio Academica de Chirurgo Medicis auxiliis indigente.* 304--327

VII.) *Ludovici Chriſtophori* ALTHOF, *Obſervationes de febre petechiali.* 328--367

IOAN-

IOANNIS PETRI FRANK

MED. CLINICAE PROF. TICINENSIS,

ORATIO

DE VENAE SECTIONIS APUD PUERPERAS ABUSU.

Habita in Ticinenſi Regia Univerſitate die 21. *Iunii* 1787.

Si quid eſt in Artis Medicae exercitio, Patres Sapientiſſimi, Rector Univerſitatis Magnifice, Commilitones honoratiſſimi, quod ad propellenda morborum agmina & ad mortalium aliquid conducat ſolatia; ſi hoc ipſum non ſemper a ſola, ſe ipſam quaſi reproducente natura, ſed ab humanis demum auxiliis exſpectari debeat: quae auxilia ab hac vel ignorantur, vel periclitanti licet corpori proprio recuſantur; oportet ſane haec talia eſſe, quae aegrotantibus aut aliquid addant, aut demant aliquid, aut quae in iiſdem aliquid immutent, atque tali tandem molimine, amiſſam ſalutem reſtituant. Quamvis enim &

Digitized by Google

nihil in his agere, ſaepe quamplurimum ſit agere, & Medicina ſic dicta *exſpectativa*, in permultis morborum circumſtantiis, potiorem laudem mereatur; haec tamen ad *naturam* magis, aut addentem, aut dementem aliquid, aut immutantem, pertinet: licet non parum honoris in ipſum Medicum redundare oporteat, qui, an aliquid in morbis movendum ſit, nec ne, difficillimo ſaepe labore eruerit.

Aſt vero, dum ſibi agendum eſſe credit Medicus, & dum, non naturae miniſtri, ſed Imperatoris vices in ſe aſſumit: aliud non ſupereſſe video, niſi, ut *agendo*, ſi recte iudicaverit, *proſit*; vel, ut aegrotantium, ſi falſas indicationes proſequatur, *pericula augeat*, mortemque aut acceleret, aut ipſemet tandem inducat.

Dura confeſſio, Auditores Nobiliſſimi, & quae Artem Medicam, ſi Reipublicae ex una parte ſiſtat utiliſſimam; ex altera, pericula, quibus tot in anno cives exponuntur, non exſpectato forte a Medicis candore, patefacit!...

Sed ita publice confiteri oportet, Patres Sapientiſſimi, ut videant demum *Magiſtratus*, ut videant ipſi *Cives* a tantis periculis perterriti, quanti pro patria interſit, Medicam in hac artem excellere, medicoſque ſuis officiis in omnibus ſatisfacere: quanti vero conſtet, hanc adminiſtrationis publicae in Civitatibus partem negligentius

tractare, liberamque a bellis Rempublicam Inſectis medicis tradere corrodendam.

Ergo ex utroque latere aequalia medicum, aut *exſpectantem*, aut *agentem*, pericula terrent, artiſque exercitium reddunt & perdifficile & periculi pleniſſimum, niſi regulae hoc in labyrinto habeantur, tum ratione, tum experientia confirmatae: quarum ſtrictiſſima obſervatio, filum quaſi Ariadnaeum medentibus offerat & ad felicem morborum perducat victoriam, vel ſaltem victam ab his artem, in nullis ſe deliquiſſe, conſolet.

Cum vero ita ſe res habeat Auditores! iuvat certe, nullum ex conſuetis artis medicae auxiliis parvi habere, nec, dum agendum eſt, talia in morbis ſuadere, quorum actio aut nulla futura eſſe poteſt, dum eſſe deberet, aut quae prudenti indicatione deſtituta, dum actura ſunt, in aegrotantium detrimenta ſunt ruitura. Ex his ultimis unum hodie coram vobis aequiſſimis Appollineae Artis Iudicibus, conſiderandum mihi aſſumam: *Venaeſectionem* ſcilicet, activiſſimum artis remedium, quod his in terris, apud puerperas, mox primo a partu die, tam communem uſum ſibi obtinuit: ut, ſi tamen in hoc rerum ſtatu rarius forte indicetur, non poſſit non ingentia foecundis Reipublicae matribus damna cauſare, dignamque lucubrationis medicae materiam mihi offerre: quae, ſi & veſtro demum

comprobata fuerit iudicio , auctoritatem , quam mihi promereri videtur, certamque utilitatem habebit. Semper enim in ea opinione verſatum me eſſe fateor Auditores nobiliſſimi , quod , ſi in detegendis in re medica novis , magna Inventorem ſpectent honor & gloria ; maiorem utilitatis ſegetem in deſtruendis erroribus ſanitati publicae infeſtis exſpectare liceat , quam in quocunque alio laborum medicorum genere; atque dum natura , ubi de rebus agitur , quae ſecundum leges eiuſdem contingunt , uti dici ſolet , *in poſſeſſione* eſt : omne mihi artis molimen ſemper viſum eſt ſuperfluum , atque ex hoc ipſo non innoxium , quo in corpore ſano aut aliquid movetur , aut aliquid mutatur , quin natura , aliquid aut movendum eſſe aut immutandum, ipſamet manifeſto ſermone indicaverit . Mulier ſana , ut fluxus menſtrui cauſſam reddamus, quovis menſe plenitudine laborare dicitur , quam ſub certa aetate , natura ipſa , excitato ſanguinis fluxu ſpontaneo , auferre , & aequilibrium inter ſolida corporis & fluida reſtituere dicitur. Supponamus hanc rem rectius ſic explicari , licet quamplurima , nec Phyſiologis ignota , obiici poſſent in contrarium: nonne ipſa illa , quam invocant , natura , ubi foecundatus nunc uterus, maiori ſanguinis affluxu *ovum humanum* aequaliter fovendum & recluſum in hoc foetum indies expandendum , nutriendum-

que ſuſceperit, longe alio modo procedit? Paucae hoc in ſtatu mulieres ſanguinem ſtillant e genitalibus, quin foetus aut robur aut incrementum, aut matris ſaltem vigor, abhinc circumdetur: maxima vero & ſaniſſima pars matrum gravidarum, nullam prorſus ſanguinis iacturam patitur, donec excluſo per partum novo mundi hoſpite, & ceſſantibus iamiam lochiis, dato tempore, ſingulare illud, ſolique humanae mulieri proprium, ſolvatur denuo tributum.

Homo vero, ridiculum toties *naturae Praeceptorem* affectans, quod natura ſuſpendit officium, in gravida quoque continuandum eſſe graviter decernit, & ſanguinem aliis uſibus deſtinatum, auſu impio profundit. Alii, ante me, hanc communiſſimam Medicaſtrorum protcrviam increpaverunt, & quotidiana docuit experientia: non ſine funeſto tum matribus, tum foetui, damno, naturae legibus, niſi peculiaris circumſtantia, quod ſat rarum eſt, aliter iubeat, ſic poſſe contradici. Plures ego matres novi, quae *abortum*, quem tali molimine avertere ſtuduerant: inconſultis adeo Venaeſectionibus conſtanter promovebant: donec abiecta infelici hac conſuetudine, maturos foetus, ad ſolas naturae leges, ſinu ſuo fovere, & abſque alia, quam quae ab hac ipſa iuberetur, ſanguinis iactura, & prolem amatam, & robur proprium conſervare didiciſ-

ſent. Plures vidi, quae, repetito gravidae, continuis Venaeſectionibus, ad chloroſim, cachexias, hydropem, varioſque alios chronici generis morbos, manifeſte diſponebantur, aut, iuvenilibus adhuc annis, ſanguine exhauſtae, vetularum iam habitum referebant.

Dummodo vero hi errores, qui nunc quidem a prudentioribus ubique incipiunt evitari, non ultra ipſum, apud noſtras, partum extenderentur! ... Sed conſuetudo non minus funeſta hic viget: ut puerperae, etiam primis, ab enixo foetu, viginti quatuor horis, venam pedis ſibi aperiri curent, atque ſic denuo naturam, quaſi ſuccurrere ſibi neſciam, legi novae, cruentoque artis auſui ſubmittant.

Quando primum ipſemet hanc apud nos conſuetudinem obſervavi, non ſatis potui mirari, quomodo res, omni adeo fundamento deſtituta, in tam generalem abire uſum potuerit, ut & infeliciſſimae experientiae, & ipſa demum ratio, timidum alias ſexum muliebrem, a nova hac ſanguinis profuſione abſterrere non potuerint. Sed mox apparentem ſaltem rationem dedit, cui haec ſanguinis mox a puerperio mittendi conſuetudo innitatur. Cum enim nonniſi matres plebeiae ſua prolibus ubera porrigere, his in terris non erubeſcant: caeterae vero vix non omnes, hos uberes, mox a partu, naturae fontes ſlu-

deant exſiccare, dimidioque matris vix functae officio, rem omnem nutritionis mercenariae mulieri committant: hinc creditum eſt, noxas a lacte retento, ſanguinis tributo artificiali redimi, morboſque varios, quos vindicatrix legum ſuarum natura, dictatura eſſet poſſe praeveniri.

Sed quantum abeſt, quin errore novo, commiſſus vix corrigatur error, & quam ruditer utrumque ſaepe infelices luunt!

Conſideremus enim Auditores, mulieris utero gerentis conſtitutionem, & mox comparebit, pauciſſimas matres, quae prolem utero excluſerunt, ad morbos inflammatorios eſſe praediſpoſitas; ſed quamplurimas in contrarios omnino adfectus rapi: quorum natura, Venaeſectionibus certe nequaquam corrigitur. Feminae, etiam non gravidae, corpus, iam longe minus, quam firmiora Virorum corpora in inflammationes proclivae novimus: longius vero adhuc feminae urbium Incolae, delicatuli, laxioriſque habitus, & ſedentariae vitae, tantiſque animi paſſionibus deditae, in hos morbos inclinant. Haec vero omnia de Muliere utero gerente, quamvis & mihi, verae, in hac, inflammationis ſigna ſubinde occurrerint, longe adhuc veriora eſſe deprehenduntur: extenſo enim, ſub ultimis graviditatis menſibus, in tam amplam molem hoc viſcere, & Inteſtinorum undique abhinc compreſſo canali, foeces in

hoc ipſo patiuntur remoram, corrumpuntur & per inteſtinum Rectum ab utero gravido coarctatum, excerni recuſant. Ipſa ſanguinis per vaſa abdominis circulatio non parum peſſumdatur, & digeſtionis, tota iam graviditate neglectum ſatis opus, tum ab his cauſſis, tum a denegato corporis exercitio, in quamplurimis deiicitur.

Accedit virium per partus labores exhauſtio, uteri evacuatio ſubitanea, & ſanguinis utplurimum aut ſat magna iactura, aut grumorum utero retentorum putrida corruptio; a quibus omnibus, & ab aucta mirum in modum generis nervoſi ſub his circumſtantiis ſenſibilitate, tot funeſtae *febres* oriuntur *puerperales*, quarum natura gaſtricam utplurimum nervoſamque Indolem magis, quam vere inflammatoriam agnoſcit.

Quidni igitur, ſub his rerum conditionibus, Venaeſectio mulieribus mox a partu indiſtinctim adminiſtrata non nocuerit! . . quae, in exhauſta per partus laborem femina, in corpore indigeſta ſaburra toties repleto, in ſubiecto, putridis adfectionibus adeo obnoxio, ſanguinem fundendi naſci poterit indicatio? . . . Quis prudens Chirurgus *Vulnerato* (: ſic enim conſiderari meretur Puerpera :) qui, nulla virium ſuperabundantia pollens, iam ex ipſa plaga copioſum ſatis cruorem amiſiſſet, & abdomen cruditatibus onuſtum, proximamque ad febrium putri-

dam diſpoſitionem proderet, abſque debita cautione venam tunderet?

Sunt tamen, inquiet aliquis, quae diſpoſitionem inflammatoriam in gravidis, hinc & in proximo puerperarum ſtatu non male arguant: ſanguis gravidarum, licet ſaniſſimarum venis emiſſus conſtantem fere, & ſanguinis pleuriticorum adinſtar, cruſtam offert inflammatoriam; dein plura certe nec ambigua, plethora ſigna in gravidis obveniunt: quo praecipue venarum ad artus inferiores tumor varicoſus, vaſorum haemorrhoidalium dolorifica perſaepe inflatio, quin ipſa ſanguinis ſputa in gravidis non raro obvia, pertinent. Nec ignotum mihi eſſe poteſt, tum GULMIUM, tum LEAKCUM, DE LA ROCHEUM, tum ipſum etiam HUNTERUM, rationem *febris* illius *puerperalis* reddentes, ad Inflammationem vel Omenti & Inteſtinorum, vel Peritonaei, confugiſſe, ipſamque uteri inflammationem, a BURTONIO, SMELLIO, aliiſque hic fuiſſe accuſatam.

Sed cum multiplex in rebus medicis errandi detur occaſio, in his certe Virorum licet celeberrimorum de morbo fatali ratiocinio, abfuiſſe minime videtur. Nemo quidem ex his fuit, qui varices tum pedum tum Inteſtini Recti, in Plethorae teſtimonium vocare voluiſſet, neque eaſdem compreſſioni magis & impedito ſanguinis in

gravida circulo adſcribere maluiſſet. Nec impoſuit Viris tot felicibus experimentis claris, ſanguinis gravidarum adſpectus inflammatorius: cum eundem ſaniſſimi etiam viri ſanguis exponere ſoleat, qui ex brachio per aliquam moram, antequam vena ſecetur, ligato, emiſſus eſt; cumque certe ſanguis, extra corpus conſervatus, de illo, qui in hoc ſupereſt, quam minime queat teſtari. Aſt vero maioris momenti his auctoribus viſa ſunt, quae in cadaveribus puerperarum, poſt dictarum febrium lethalem exitum, detexerunt, & quae non tam raram in hoc feminae ſtatu inflammationem eſſe, videbantur illis indicare.

Magni certe momenti haec argumenta eſſe faterer Auditores, ſi Praxis ipſa & quotidiana ad lectum experientia hoc ratiocinium ſatis confirmaſſet; & ſi ex illis, quae poſt mortem in cadaveribus inveniuntur, recta ſemper ad cauſſam morbi valeret concluſio.

Fatetur ſcilicet ipſe LEAKE, venaeſectionem apud puerperas, ob celerem purulentae materiae in omento, aliiſque abdominis partibus depoſitionem & corruptionem, nec minus vero putridam viſcerum diſſolutionem, non niſi a principio febris illius, locum invenire; tardius vero, inſigniter omnino nocere (*). Omnes ſcri-

(*) Practical obſervations on the child-bed Fever &c. 1772.

ptores in eo conſentire monuit, CAROLUS WHITE, quod, licet in *febris puerperalis* initiis copioſa ſint ſigna inflammationis, plurimumque urgere videantur; nunquam tamen diutius res ita ſe habeat: ſed putrida mox indoles a morbo aſſumatur (*). Neque certe feliciores fuere caeteris, qui quam maxime venae ſectionem in *puerperalis febris* adminiſtrarunt initiis, minorem enim aegrotantium, quam qui contrariam methodum, ſequebantur, nequaquam perdiderunt: quod & ipſis HUNTERI obſervationibus confirmatur (**). Omnes e contrario, evacuantia uno hic ore laudant, pro rerum circumſtantiis prudenter adminiſtrata: ut vel ex hac ſola confeſſione pateat, nullam hoc in morbo Inflammationem latuiſſe ſub initio: cum in hac, deleterium potius evacuantium effectum fore, quivis facile praevidebit. Neque debuiſſent ſigna Inflammationis ſeu gangraenae Inteſtinorum, Peritonaei, Omenti, in demortuis comparentia, pro cauſſa magis, quam pro *Effectu* morbi conſiderare: cum & in morbis, ab inflammatione vera toto caelo diverſis, in putridis, malignisque febribus, dyſenteriis, in ipſo demum hydrope, frequentiſſima Inflammationis ſigna detegantur,

(*) Von der behandlung der Kindbetterinnen; §. 172.
(**) WHITE l. c. pag 281.

quae nemo certe Practicorum inter Venaeſectionis apud aegrotantes alios indicationes poſuerit.

Quodſi in ipſa illa *febre puerperali* Venaeſectio ſua agnoſcat diſcrimina : quis in ſana, febriſque experte muliere, quis, abſque ullo alio plenitudinis nimiae iudicio, vitalem ſine noxa liquorem detraxerit?

Aſt lactis *futura ſuppreſſio* audacem methodum excuſabit, ſanguiniſque artificialem iacturam extorquebit! . . . .

Scilicet ut naturalem in muliere ſecretionem praeſcindamus : ipſum, unde haurienda foret, vitalem laticem ſundemus? . . . Certe, neque primum adeo in hominis poteſtate eſt ; neque ex altera parte, tam ipſe ſanguis iam praeparatus, quam *Chylus*, periodico flumine mammas muliebres alluens, dulcifluum liquorem largitur, parumque *animalis* adhuc natura, ſeu *caſeoſae* partis ineſt Coloſtro illi puerperarum : cuius hinc ſecretionem nondum impediet, quae venam ſibi adperiri curaverit incauta mulier.

Sed febrim illam lacteam uberumque praepediet phlogoſin Venaeſectio! . . .

Eſſent hic multa ſane de hac, feminae humanae propria febris ſpecie dicenda : quibus forte probari liceret, non tam recto adeo nomine *lacteam* nominatam fuiſſe, ut non aliae cauſſae, plus, minus, in quavis puerpera ſubeſſent, ad hanc febrim contribuere ſolitae.

Peperit ſana mulier, & mox a partus creatorio opere, Placentam, ſanguinem, tum fluidum, tum congrumatum, ſeroſum, per primas horas excernit utero. Hanc excretionem comitantur, ſi *Primiparas*, ſaltem plurimas, excipiamus, dolores recurrentes, partus doloribus fere ſimiles, in multis leviores, ſat brevi ceſſantes, in aliis atrociores, longiores, incipientem uteri Inflammationem aliquando mentientes, aliquando revera indicantes. Niſi vero haec ipſa ſubſit, quod a partu magis laborioſo, aut rudiori, ſub hoc, genitalium tractatione dependet: imminuuntur, poſt aliquot horas, dolores illi, quibus uteri a reliquiis ſuis egregie repurgantur, & tandem placidior puerperae ſomnus praeparatur: a quo, perpeſſi laboris oblita, tenera proli figit oſcula, ſibique de feliciter edito amoris pignore gratulatur. Interim natura foecundi uteri curam gerit: vaſa per graviditatem extenſa, dilatata, replicat, coarctat, exprimit & emungit; affluxum ſanguinis priſtinum avertit, reſtringit, minoreſque ſucceſſive vaſorum diametros opponit: unde, excreto quod ſub *lochiorum* nomine venit, ſanguinolento humore, tertia fere, aut quarta etiam die, magnum iam opus abſolvit, uterumque, ſi non ad priſtinum ſtatum, ad illum ſaltem reduxit: ſub quo maior arteriis hypogaſtricis & uterinis, in gravida muliere prae-

potentibus & dilatatis, reſiſtentia opponatur. Novae hinc ſanguini circulationis leges in feminineo corpore ſunt obeundae: neque ſine omni irritatione hoc opus abſolvitur tum ad ipſum uterum, tum in toto puerperae corpore perſentiendo. In illo nempe, excretio ſanioſi liquidi per breve tempus quodammodo languet, tenſionis, & plenitudinis ſenſus percipitur; in hoc, febriles motus inſurgunt: levis & ſub cute quaſi repens horripilatio puerperam corripit: hanc ſequitur calor auctus, facies accenditur, pulſus frequentia, plenitudo augetur; inquietudo, cum inſomniis turbulentis, pectoris quaedam anguſtia moleſtant mulierem; cuius mammae turgent & ſororiantur, lactis ſecretio augetur, ſudores erumpunt certi odoris, & poſt unam alteramve diem his motibus a natura impenſam, lochia denuo quidquam augentur: ſed mucoſa magis & albida, quaſi purulenta ſiſtuntur, continuantque in illis, quae mammas puero ſugendas praebent, per quindecim fere dies; in illis vero, quae hoc fungi officio aut non poſſunt, aut fungi recuſant, per ſex aliquando ſeptimanas & ultra.

Hanc ergo febrim vocaverunt *lacteam* medici ex ſolo mammarum turgentium nunc & dolentium phaenomeno. Sed hanc ipſam uberum adfectionem, *ſymptoma* potius laborantis adhuc uteri (: Viſceris, cui ſummus cum mammis con-

ſenſus eſt, & amicitia:) ſiſtere, certum eſt: ut & in puellis, quibus menſtrua inſtant, turgere & ſororiari videamus, & dolere ſoleant, & nonnunquam ſenſiliſſima reddi ubera, non abſentibus etiam aliquando febrilibus ſymptomatis: quin tamen hic ſtatus mammarum, protinus conſenſualis, pro morbo ſpeciali, & nomine, ex parte adfecta deſumendo, deſignari voluerit. Quare iam SWIETENIUS, valde probabile eſſe credidit, febriculam illam, quae in puerperis *lactea* ſolet dici, non tantum a lacte ad mammas delato naſci, ſed etiam a depuratione uteri per blandam & ſuperficiariam ſuppurationem (*).

Quod vero probabile viſum eſt SWIETENIO, hoc certum eſſe videbitur, ſi ulterius conſideremus: quod ad ſolam lactis ſecretionem tot motus a natura excitari prorſus non poſſint. Ad nullam enim aliam *ſecretionem*, a natura, in animali corpore ſuſcipiendam, *febris* accenditur; neque cauſſa ſubeſt, cur ad mammas hoc fiat, quod neque ad ullum aliud viſcus ſecretorium contingit. Certe lactis ſecretio *longe prius*, quam poſt partum, in illis praeparatur: & iam in ultimis graviditatis menſibus, ubera, *abſque ulla febre lactea prius excitata*, incipiunt tur-

(*) Commentar. §. 1329.

gere, & ſat copioſum ſaepe coloſtrum exſtillare. Poſt ipſum etiam partum, ſaepe abs omni febre conſpicua, ſecretio lactis feliciſſime contingit: aut, & *mater* mox a partu puerulo mammam porrigens, & *matertera*, propriam prolem, adhuc ab utero rubentem, crudeliter abdicans, eandem prorſus febrim experiuntur. Quodſi febris, quam *lacteam* vocant, ad maiorem gradum adſcendat, neque *lochia* reſtituantur: non adeo in morbum *mammarum*, quam in *febrim* illam *puerperalem*, tranſitura eſt, cuius genium a morbis inflammatoriis, prout diximus, ſi a primis initiis forte praeſcindamus, utplurimum longe eſt alienum. Certe *febris puerperalis* principium in idem tempus cadere obſervatur, quo *lactea febris* mulierem invaſiſſe dicitur: & ſero nimis errorem ſaepe agnoſcunt Practici, dum vano *febris lacteae* titulo decepti, *puerperalis febris* exordia neglexerunt.

Sed vero hic locus non eſt, propius in veram febris huius naturam & indolem inquirendi: ſufficiet ergo, illis, quae hucuſque dicta ſunt, addidiſſe: *Venaeſectionem* mox a puerperio inſtitutam, non eſſe verum ad *febrem* etiam *lacteam* praeſcindendam remedium; & quod ad copiam lactis imminuendam, non ſanguis certe detrahendus ſit, ſed 1.) alimentorum, in chylum lactiferum abeuntium quantitas moderari, 2.) vero, ſecreti iam lactis copia vel emulgeri

debeat,

debeat, vel, quae reſorpta fuerit, diluente potu, leniumque ſalium mediorum prudenti adminiſtratione evacuari: donec natura, per auctam in utero ſecretionem, denegatam ſibi in uberibus ſeparationis lacteae operam velit compenſare. Huc eſt, quo humores a mammis relegati confluunt, noruntque puerperae expertae, pro exſiccato hoc *fonte animali* benefico, utplurimum alium in aliis mox locis ſcaturire, ex quo certe nec vita hauritur, nec ſexus amabilis in alterum iura amoris confirmantur.

Nullibi nimirum *fluor albus* tam late graſſetur quam ubi ſecernendi per ubera humores, ad uterum ruere, vaſa huius viſceris ſpongioſi dilatare, relaxare, opuſque lactationis copioſioribus lochiis compenſare coguntur: quo fit, ut, tam diuturno affluxu, partium tonus omnis roburque naturale, & reſiſtentia vaſorum uteri omnis ſuperetur; natura largiori pituitae ad genitalia excretioni adſueſcat; & ſic taedioſiſſimus fluor & reciproci amoris, & fertilitatis abluat veſtigia.

Atque hi tandem effectus praepoſtera poſt partum venaeſectione promoventur, vires vitae a partu ad partum magis magiſque deiiciuntur, aut mala adhuc maiora infelices exſpectant. Ipſe enim lochiorum a partu fluxus moderatus, ſalutare ſiſtit naturae conamen: quo infarcta gravi-

ciratis tempore vaſa uterina ſe exonerant, totusque novus eiſdem, totique ſic prolifico viſceri concilietur. Quin ipſa febris hoc ſub opere excitata, *lochialis* potius quam *lactea*, dicenda, in matre non lactante, per ſudores repetitos, aequales, moderatos, futuri lactis optime diſpergit materiam, atque tum congeſtionem in mammis, tum lacteas quaſcunque in corpore *depoſitiones* praecavet: quae, debilitato per venaeſectionem corde, eo facilius certe locum ſunt habiturae, funeſtiſſimam ſic, & paucis iam diebus lethalem in puerpera Orthopnoeam obſervavi, quae ex incauta, in debili iam & cachectica muliere, mox a partu, ſuſcepta venaeſectione, ex momento fere nata fuerat, & a magna, in cava pectoris facta effuſione ſeri, dependebat: ut & ipſae extremitates, & truncus, ubique enormiter tumerent, & proſtratas naturae in reſorbendo feroſo latice vires, marmoreo partium frigore demonſtraret.

Sed fortaſſis nunquam *venaeſectionis* apud puerperas locus erit, ſemperque in his noxiam operationem declarabo? . . .

Nemo certe a Viro, muliebrium morborum, &, quae partum comitantur, difficultatum, non ignaro, talia metuerit; atque, niſi proprias hic experientias haberem, quae mittendi hic ſanguinis neceſſitatem aliquando me docuiſſent: iam

ex hoc ipſo, quod tam generali apud nos uſu recepta fuerit venaeſectio, argumentum deſumi poſſe crediderim, fuiſſe ſcilicet puerperas, quibus *venaeſectio* omnino conduxerit; fuiſſe alias, quibus, ſaltem manifeſto, non nocuerit. Quidquid enim contra vel peſſimas etiam medendi methodos, tum ex ratione tum experientia, dici queat: ſemper aliquo his fundamento gloriari licebit, quod aliquando profuerint: unde non in ipſa adeo methodo, ſed in eiuſdem adplicatione error latet: quo ex uno alterove ſucceſſu remedii, abſque ulteriori caſuum diſtinctione, ad generalem, frequentemque nimis eiuſdem uſum deducimur.

Venaeſectionis utilitatem in partu difficili, apud plethoricas feminas, tum ad hunc ipſum felicius abſolvendum, tum ad ſequelas eiuſdem inflammatorias, multoties ſane expertus ſum; neque minores huius evacuationis vires in illis obſervare potui, quae, vel ſuppreſſis, vel fluentibus etiam lochiis, prima *uterinae Inflammationis* ſigna edentes, manifeſtas *venaeſectionis* indicationes offerebant. Quare iam HOFFMANNUS inquit: „ Puerperis, inteſtinorum & lumborum dolores ſunt familiariſſimi: praeſertim ſi lochia non debito modo, quantitate, ac tempore procedunt: ex quibus poſtea doloribus febres exanthematicae, quae, ſi ingraveſcunt, puer-

peram tollere conſueſcunt, oriuntur. Qua de re circumſpectus eo animum advertere debet Medicus, ut convenienti methodo horum dolorum ſaevitiam componat: quod optime ſit, ſanguinis lochialis promotione, qui, ſi medicaminibus morem gerere recuſet, *venaeſectio* in pede tutiſſime celebratur: poſt quam, ſtatim ſaepe numero prodeunt lochia, & dolores penitus ſopiuntur: quod crebra me docuit experientia „ (*).

Sed ſi unquam ſine certa indicatione, tum in ſano, tum in aegrotante etiam homine, nihil a Medico movendum eſt, quod ſi non rectius moveatur, vitam removere poteſt; certe in *Puerpera* longe periculoſius conamen futurum eſt, quod vires cordis deiiciet, ubi nulla ſignificatur virium ſuperabundantia; quod febrim moderetur, ubi febris deeſt, aut deſideratur; quod ad arcendam inflammationem, quae futura non eſt, venaeſectione pugnet, ut *febri puerperali putridae*, quae forte ante portas eſt, faciliorem introitum conciliet; quod demum ſolida, laxarum iam, tantiſque nervorum adfectibus ſubiectarum mulierum, ulterius relaxet, praeternaturalem partium ſenſilitatem augeat, & tum ad hyſterica pathemata, tum ad plures alios, qui ex flacciditate

(*) Med. rat. Syſt. T. IV. P. II. Sect. II. cap. V. §. 10.

ſolidorum & tono uteri deperdito dependent; morbos ex arte praeparet.

Vereor, *Patres Sapientiſſimi*, *Auditores Nobiliſſimi*, ne ad nauſeam uſque, venaeſectionis mox a partu inſtitutae abuſum demonſtraverim; ſed poſtulare videtur, cuius, Artis ſalutiferae praecepta docere eſt, munus & officium, ut, quavis data occaſione, quae his exercendis obſunt, tum rationum, tum experientiae argumentis removeat, ut ſingulas medendi methodos, quieto examine diiudicet, rationes ponderet, & ut, quae, tum his ipſis, tum experientia comprobata magis agnoſcit, candide adperiat.

IOANNIS WELTI,

CERIACO HELVETI

DISSERTATIO

DE

EXANTHEMATUM FONTE ABDOMINALI

Goettingae 1784.

§. I.

Conſenſus Cutim inter & Abdomen.

IN humano corpore confluxum eſſe unum, conſpirationem unam, & omnia conſentientia, ſtabilivit venerandum *Coum oraculum* (*a*). Quam conſenſus doctrinam eximie illuſtrarunt magni in arte noſtra Viri, WILLIS, HALLER, WHYTT, LANGHANS, RAHN, nuperque BAUMER, eamque nervorum Sympathiae, membranarum productioni, irritabilitati inſitae, Vaſorum anaſtomoſi, Telae cellularis ubivis reperiundae continuitati, fabricae analogiae, eidem Naturae officio, humorum ſimilitudini innixam recte adſtruxere.

(*a*) Libr. de Aliment. IV. 24.

Digitized by Google

Mihi autem tantum demonſtrandum incumbit, quantum intercedat Cutim inter ac abdomen commercium; grave cutis, quod Corpori praeſtatur, eſſe officium, inde iam arguere poſſumus, quod ubivis adſit, magnis nervis in papillas molles ac pulpoſas mutatis inſtructa, vaſculorum varii generis innumera ſerie picta, tandem in corporis maiora orificia, os, nares, aures, vulvam, anum ſuſcepta, ibique ob aëris impeditum acceſſum tenerior, in *villoſam* dictam tunicam laxata, qua in re conſentientem habeo immortalem HALLERUM Helvetiae olim ornamentum (*a*): Sic immiſſo in ventriculum Corpore irritante, illico puſtulis Cutim deturpari, aut pruritus eam experiri enormes mytulis ac oſtreis imprudenter aſſumtis teſtatum facit LORRY (*b*) & in acutis Cutis aegritudinibus a ventriculi regione mali fontem ſcaturire, viciſſimque ventriculi affectiones in vultus ac faciei Cute pingi expertus aſſerit (*c*): & ſapienter monet BISSET (*d*), aegros Exanthematibus aut Tuberibus ob-

(*a*) Prim. Lin. Phyſiol. §. 430.
(*b*) De morbis Cutaneis. Paris 1777. 4to. p. 26.
(*c*) Ibid. pag. 38.
(*d*) Medical Eſſays and Obſervations New Caſtle upon Tyne, 1766. pag. 73.

ſeſſos, plerumque a primarum viarum vitiis haud eſſe immunes — Cutanea excretione imminuta maioris neceſſitatis evadere purgantia, Cuteque ſicca ac ſiſſa in febribus bilioſis inteſtina verſus ferri humores alias Corporis ſuperficie eliminandos — Videmus quoque, itinera marina ſuſcipientes vitiis liberari abdominalibus non ſolum ob vomitus plerumque ingruentes, ſed potius ob perſpirationem cutaneam tunc expeditiorem: nuper etiam egregie Conſenſum Cutis cum viſceribus hypochondriacis adſtruxit, vomitumque ſudore ſolvi, ac vomitu vice verſa impediri Tranſpirationem nervoſe probavit Cl. DE NEUFVILLE (*a*). Argumento corroborando maxime inſerviunt quoque exigue Emeticorum Doſes, quibus pori aperiantur Cutanei, promoveaturque Diaphoreſis: (*b*): hinc poris cutaneis frigore conſtrictis oriri Diarrhoeam cum doloribus torminoſis quivis facile experietur, qui corpore calido ſeſe aëri expoſuerit frigidiori: in nulla alia ideo re, niſi in leviori veſtitu tempore autumni, ubi intenſus urit Corpora interdiu calor, nocturno frigore irrumpente noxio, Dyſenteriarum Epidemias poſuit, & optimam in eo conſiſtere Prophylaxin, ſi nocturno

(*a*) Diſſ. de ind. morb. period. Gott. 84. p. 17.

(*b*) LEAKE Medical Inſtructions, London 1781. Vol. I. pag. 387.

tempore veſtibus calidioribus Corpus induatur; adfirmavit Angliae Phoebus SYDENHAM, cui aſſenſionem praebens AKENSIDE Dyſenteriam tantummodo vocat rheumaticam inteſtinorum affectionem, vocabulo tamen arctis nimis limitibus circumſcripto: Dyſenterias epidemicas Antillis in inſulis graſſari, quando frigida tempeſtas perſpirationem ſufflaminavit, ad alvum particulis acribus repercuſſis notavit DE HALLER (*a*). Cutim conſentire cum alvo, alvum cum Cute, pruriginoſas Cutis maculas alvi morbis ſolvi, Colicas affectiones multoties Diaphoreſi ſanari, alvo contracta univerſum Cutis Syſtema convelli reliquit nobis BAGLIVI ſanioris Medicinae ineunte hoc Saeculo fundator (*b*): inque eo hydrophobiae ſtadio, quo deglutiendi facultas iam penitus deleta deprehenditur, ope Cutis ſolius Syſtemati Chylopoïetico reſpondentis vitam protrahi, nutritionemque perfici vidit maximam in Medicina famam adeptus FOTHERGYLL (*c*). Arcanum illum ac plane inconprehenſum Cutis cum abdomine nexum uberrime perſpexerunt eximius in obſervando Vir HUXHAM (*d*), nec non VAN

(*a*) Element. Phyſiol. Tom. V. pag. 81.
(*b*) Oper. omn. Lugduni. 1704. pag. 343.
(*c*) Medical Obſervat. and Inquir. Vol. V. p. 216.
(*d*) Opp. med. Phyſ. Lipſ. 1764. Tom. I. p. 356.

Digitized by Google

DEN BOSCH (*a*). Scrdibus primarum viarum extremitates vaſorum ſpaſtice contrahi, perſpirationemque impediri, innoteſcit ex Diſſ. Cl. HAKEN (*b*). Quibus debilitas ex nimia ſurgit perſpiratione, Colicae obnoxii ſunt teſte HILLARY (*c*). Maxime ſpectabilem eſſe humorum ab alvo ad Cutim membranamque huic ſubpoſitam ſucceſſionem, criticis ſudoribus alvum fluxam ſiſti, humiditates ex ventriculo retrahi expertus eſt KLOEKHOF (*d*): Refrigerio potiſſimum morbos gigni bilioſos, ac a materie acri Ventriculo ingeſta Cuti frigus induci vidit SIMS (*e*) — Ope ſudoriferorum retineri medicamina alias vomitu eliminanda in ventriculo adſeveravit SYDENHAM (*f*). Sic Emplaſtrum *de Arcanita* Cuti externe admotum per ſtimulum continuatum purgat — Ab induſiorum frigidorum aut humidorum mutatione ventriculi inflammationes ortas legimus, poris cutaneis firmiter occluſis, quum ventriculum aut inteſtina dolor torqueret: Sic in Enteritide aut ileo, fatidicis ſane morbis. Extrema & omnem

---

(*a*) Hiſt. Conſt. Epid. verm. Nor. 1779. p. 351.
(*b*) De Scarlatina, Gott. 1781. pag. 45.
(*c*) Diſeaſes of Barbadoes. Lond. 1759. p. 182.
(*d*) Opuſculi med. Traj. ad. Rhen. 1747. p. 96. not.
(*e*) Ueber epidemiſche Krankh. Hamb. 1775. p. 21. und 166.
(*f*) Oper. omn. Lipſ. 1711. pag. 154.

cutim gelu inſtar frigidam animadvertimus: Terrore ſubito percuſſis in rugas criſpatur Epidermis Cutim formatura anſerinam, ac plerumque, quod & vulgo notum, ſuperveniet Diarrhoea haud comprimenda, ut id in turpe abierit proverbium.

Nec haec omnia mirabimur, ſi perpenderimus, omnes illas dotes, quas ad Conſenſum perficiendum requiri ſupra poſuimus, uberrime in Cutim ac abdomen cadere. Plura heic adferri facile poſſent Exempla, ſed limites Diſſertationis evagarer.

Venena ob acrimoniam nunquam vaſis lacteis reſorbenda ſi quis ingurgitarit, horrorem, frigus Corporis, vultus pallorem, Cutis livorem ſubſequutura percipies. — Bilem vomiturus rigeſcit — Potus frigidus calente corpore hauſtus horripilationes per univerſam dimittit Cutim. Qui ſtratis pavimentis incedunt inſueti, inteſtinorum mox patientur tormina: Inde explicari poteſt Spaſmus ille periphericus febres praegreſſus bilioſas (*a*), hinc in alvo obſtipatiori, Coliciſque affectionibus balnea tepida eximiae deprehenduntur utilitatis.

(*a*) ROCHOLL praeſ. BUCHNER de Conſ. Prim. Viar. cum Perimetro C. H. Halae 1764. p. 41. nota.

§. II.

Abdomen.

Ne autem falſo intelligar, haud ſupervacaneum duxi, ſi, quamnam abdominis notioni iungam ideam, paucis enarravero. Nec heic, uti multi opinantur, ſolius ratio eſt habenda bilis, licet ea pravam plerumque omnibus morbis adſpergi labem haud iërim inficias, eamque *chamoeleontis verſipellis* nomine inſigniverit Ill. STOLL: Omne igitur, quod ex abdomine ſurgit, non *bilioſum* eſſe, facili inde deducitur conſequentia:

Variis praeterea contaminari inquinamentis abdomen inde ſtatim liquet, quod pleriſque hominibus vitae indulgentibus ſedentariae congruus deſit motus, quo alimenta humoreſque rite ſubigantur, hinc oriantur Staſes variae indolis in vaſis, quorum mater eſt Vena Portarum, irritatione inde pendente debilitentur Solida quaecunque, premantur inertia, unde pituita adeo crebra gignitur: ſic humorum perturbatur circuitus, & morbis ſubſequis gravamina praecordiorum obtrudentur emunctae naris medico, licet ſigna externa defecerint, ut, ſi, praemiſſis ſolventibus, evacuantia in uſum vocata fuerint, mirari ſaepe ſubeat, ubi tanta illuviei copia abſentibus ſignis manifeſtioribus latuerit,

Si praeterea tardum adeo in ramis Venae Portarum exiſtentem humorum circulum, directionemque vaſorum illorum debilium perpendicularem nobiſcum revolverimus, obſtructionum geneſin ibi facillimam fore ſponte perſuadebimur. Tenacitas praeterea humorum illorum ipſo in ſtatu ſano eſt tanta ob oleum ex omento pingui ad portam delatum, ut quovis exceſſu facile morbus gignatur.

Dein quis unquam extitit mortalium, qui non circa diaetam ac potum varia admiſerit peccata, ſive ingeſſerit noxia, ſive nimiam aſſumſerit alimentorum quantitatem, ſive famem fuerit paſſus, ſive temperie pulvioſa ac humida omnia relaxante inteſtinorum Tonus cui perierit, ſive ſpirituoſis nimis indulſerit? & cuiuſnam vaſa abſorbentia inteſtinalia ſemper ea gaviſa fuerunt oſcillandi vi, ut omnem materiem chylo parando aptam ſuſceperint? & inter centenos homines vix unus moritur, cuius viſcera abdominalia ac inteſtina plenariae integritatis, cuius ſecretiones haud labefactatae, humores digeſtioni officio inſervientes haud corrupti & depravati fuerint.

Et quis ignorat Pathematum, quae in quemcunque hominem, ne maximo quidem philoſopho excepto, vi ſua debacchantur, in primas vias efficaciam, quibus mire bilis officina conturbatur, ut, qui terrentur, in febres incidere

ſoleant, biliofas, moeror diuturnus, aerumna, ac ſomni neſcia ſollicitudo ſtomachum ac inteſtina reſolvant, chronicam febriculam bilioſam gignant, multique, qui febre illa tenentur, morbi dies a praegreſſa gravi ira, aut vindicta haud placata computent, & foeminae, quas inexorabile fatum coniuge orbarat, aut gaudio intenſiori adfectae, ſubito animam efflarint, uti in nepte LEIBNITII clarum habemus exemplum.

Quanta praeterea inteſtinorum tractus obruatur alimentorum varietate, e quibus praeter Chylum craſſum, viſcoſum, inteſtinorum ſubtilibus villis recipi neſcium nil extrahitur, quibus digeſtionis organa ob male locatas vires laeduntur ac perduntur, Staſes ac obſtructiones vaſorum meſaraicorum, nec non hepati & lieni proſpicientium oboriuntur, inter omnes convenit. Ab omni refrigerio, cibis flatulentis nimiis diſtenduntur inteſtina, clauduntur pori, quibus & bilis & ſuccus pancreaticus ſua ad loca accedunt: hinc Staſin ferentes, obque moram inviſcati, viſcera, in quibus iuſto diutius remanent, obſtruunt — Inde tanta malorum cohors: Uti autem comparata eſt digeſtio, ita Chylus; uti Chylus, ita Sanguis omnibus exin ſe — ac excernendis liquidis ſuum inſigens Characterem: Ita ſaepe aura morbifica hominem adflat bene pranſum ventriculo repleto, quem ni ipſa Natura ſalutari ſubvertat conamine, multa aliena gravabit moles.

Deſumitur exin haud difficulter, quanti ſit momenti in quovis morbo ad primas ſollicite adtendere vias: id iam ſapientis BAGLIVI (*a*) inſtans erat votum: Pauciores enim Medici committerent errores, ſi omnium aegrorum hypochondria ſtatim tractarent, quam non faciunt ſpreta hypochondriorum obſervatione: Qui in morbis eorum ſtatum bene noverit, quam bene curare ſcierit! quam bene praeſagire! Philoſophus cogitare deſinit, ex ſano inſanus, ex animoſo timidus, ex hilari fit tardum ingenium, viſus, loquela, guſtus, auditus corrumpuntur, ſubiecta florida marceſcunt, ſi ventriculus ac inteſtina laeſa fuerint. — Ventriculo bene ſe habente totum corpus eſt alacrius, ſomnus fit placidior, omnes ſe — & excretiones rite procedunt, functionum conſpicitur vigor, corpori additur robur, mentique hilaritas (*b*). Eximie ob oculos poſuit hancce canalis alimentaris in totum corpus vim Ill. RAHN Fautor ac amicus pia mente colendus ſemper in ſolidiſſima Diſſertatione (*c*).

(*a*) L. c. pag. *62*.
(*b*) Vid. BAUMER de Conſ. C. H. Giſſae 1781. pag. 26.
(*c*) Mirum Cap. inter & Abdom. Commerc. Gott. 1781. variis in locis.

Etiamſi facile conceſſero, morbos, quorum cauſſa in primis haud lateat viis, exiſtere, tamen eorum effectum, ſimulac oculis ſeſe prodiderit, ſtatim in ſpecum exeri inteſtinalem, quotidie experiri datur, quum ciborum adpetentia proſtrata, inquietudo, ſapor oris pravus, hypochondriorum gravamina, alvi ratio abnormis, ſecretio humorum abdominalium exlex cuivis fere morbo ſtipentur: Omnium enim febrium acutarum, ſanguinearum aeque ac meſentericarum aut remotiorem aut proximiorem originem in primis ſtatuere auſim viis forte alio tempore id uberius explanaturus.

§. III.

Exanthemata reapſe ex Abdomine oriri.

Princeps totius argumenti in eo vertitur cardo, ut evictum dem, vera eſſe nunc proferenda: & cui arcta abdomen inter ac cutim harmonia, nec non grandis abdominis in omnes corporis partes vis in mentem venerint, argumentum arduum haud videbitur.

Ordiamur igitur a divo Artis noſtrae Parente HIPPOCRATE, qui (a) ſtatuit, ubi Tubercula

(a) Aphoriſm. Sect. II. §. 15.

cula oriuntur in cute, ibi inſpiciendas eſſe excretiones, quae ſi fuerint biliosae, corpus una aegrotare, & (*a*) faſtidientibus commota alvi ſubpreſſio pulicum quaſi punctuaras celeriter efflorescere facit: Quod pruritus ac Exanthemata facit, ſaepe haerere in ventriculo & circa praecordia, in febribus, collectis circa praecordia malignis ſordibus Exanthemata prodire pellenda, ſimulac ſurſum aut deorſum deturbatae fuerint, egregie adſtruxit magnus VAN SWIETEN (*b*). Foemina, reprimendo aqua frigida impetiginem decem annorum, cuius erat pertaeſa, ſtatim vomendi conatus ſenſit. Cum Exanthematibus ſemper ſociantur primarum viarum impuritates, ut eo conniti debeat prudentis Medici cura viſceribus abdominis depurandis (*c*): nec non de Exanthemate univerſali totam corporis circumferentiam obſidente, unica Emeſi feliciter ſublato loquitur DICKSON (*d*). Tuſſim convulſivam gaſtricae ſemper originis magnum cum

(*a*) Praenot. Coac. 564. conf. Epidem. Lib. II. Sect. III.
(*b*) Comment. Tom. II. Hildburghauſae 1754. pag. 399.
(*c*) ARMSTRONG in Samml. für pract. Aerzte, B. 4. St. 1. pag. 95. und. 99.
(*d*) Med. Obſerv. and Inquir. Vol. II. pag. 313.

morbis cutaneis habere conſenſum, & a tuſſi convulſiva ſaepe excipi Scarlatinam, quotidianae Experientiae res eſt: Materiem bilioſam plerumque vere ac autumno evolvi, eoque tempore maiorem eſſe Corporum ad Exanthemata propenſionem: Sic verno tempore perſpiratio ob vires corpori inſitas augetur, bilis iners ac rara priſcas indipiſcitur dotes, ſanus omnium ſecretionum reſtituitur tenor, humores excrementitii forma herpetica aut eryſipelacea in cute prodeunt, frigore ſuperveniente ad ſtomachum reverſuri (*a*).

In infantum corporibus, in quorum ventre impura reſidet colluvies, vel Parotides, vel Labiorum tumores, articulorum fungos, alioſque cutis morbos ſurgere, ſuſcepta ex infimo ventre corrupta materie & trans ſanguinem lata ad cutim explanavit Cl. STRACK (*b*). Perturbata alvo, utut pauca ſubducantur, delentur faciei Exanthemata: Lientericis plerumque ſunt maculae bullatae aut ſquamulae, rubentibus orta ſudatiuncula, quaſi virgis caeſis: Ex prima officina plurimorum praecipuam emicare malorum Scaturiginem, a qua diffuſa omnis contaminetur machina, & cutis ſcabritiem, puſtulas ſero-

---

(*a*) BISSET Eſſais on Med. Conſt. of Great. Britain. Lond. 1762. pag. 123.

(*b*) De morbo cum Petech. Carlsr. 1766. p. 213.

ſas prurientes plerumque laxantibus ſalino-rhabarbarinis tolli adſeruit VAN DER BOSCH (*a*). Saepiſſime Cholera ſolvuntur efflorefcentiae chronicae, & quivis lectulis aegrorum frequenter adſtans adtentusque ſpectator facile ſibi revocavit in mentem, febres Exanthematicas capere exordium a cardialgia ac vomitibus ceſſaturis, ſimulac materia morbida ad cutim abierit, retropulſa materie eadem rurſus obtingere Symptomata, inter complures & hoc teſtatur Vir de Anatomia maxime meritus ISENFLAMM (*b*). Ex neglecta purgatione ortos furunculos ac Apoſtemata memorat METZGER (*c*): Saepe occurrunt varii variarum partium, praeſertim cutis dolores, qui bilem aliaſque ventriculi inteſtinorumque affectiones mentiantur, heic purgantia lenia, Diaeta tenuis ac fonticuli mira praeſtant teſte FOTHERGYLL (*d*): omnes eruptiones cutaneas temperamenti calidi hepatici effectum ſtatuit LEAKE (*e*). Ineſſe videtur ſanguini diatheſis quaedam peculiaris Exanthematibus gignendis

(*a*) L. c. p. 193. 357.
(*b*) Berſ. über die Nerven, Erlang. 1774. p. 94.
(*c*) Adverſ. Med. Franc. 1778. p. 53. T. II.
(*d*) Med. Obſ. and Inquir. Vol. V. p. 141.
(*e*) L. c. Vol. II. p. 346.

apta, nempe acris ac bilioſa colluvies, quae ab inteſtinis egreſſa ad cutim nunc tendit: Subinde fine Dyſenteriae aut mucoſae aut bilioſae puſtulae erumpunt mordentes: ab humorum intemperie ac acrimonia primarum viarum ſpontanea citius tardiuſve produci Exanthemata teſtati ſunt experti de HAEN (*a*), & LANGGUTH (*b*). Concitata in ipſo ventriculo effervefcentia radios ad ipſam defert cutim, ampullas ac tumores concitatura, levi catharſi tollendos: Maxime nocet Gulae intemperies in morbis exanthematicis inde exaſperatis effante LORRY (*c*): Sub morbi epidemici bilioſi finem Exanthemata propulſa ſunt ſublata, dum morbi materies per alvum evacuaretur, & viciſſim dum aeger oris amarorem, ructuſque pateretur bilioſos, tartarus emeticus in aqua ſolutus cum cathartico exhibitus eſt, largiſſimo ſudore ac Exanthematibus veſicularibus inſecutis, quibus erumpentibus convaluit (*d*). Exanthemata haud raro omnem originem ex tali acrimonia bilioſa trahunt: Praeſentia huius colluviei, & fructus, qui ex eiuſ-

(*a*) Rat. med. Pars III. p. 25.
(*b*) Diſſ. de Clyſter, febr. Exanth. &c. Wittenberg. 1756. p. 15. reſp. HENNE.
(*c*) L. c. p. 72.
(*d*) Cl. WEICKARD Obſ. Med. Francof. 1775. pag. 60.

dem evacuatione morbo advehuntur, nullam aliam admittunt concluſionem ita volente Cl. SELLE (*a*) & viae, per quas materies biliosa e Corpore educi ſolet, per Exanthemata reperiuntur chronica.

Narrat FINKE (*b*) de foemina poſt varios Naturae conflictus ex febre biliosa emergente, quae quum a morbi reliquiis purgari renueret, mox Purpura adfligebatur, mox ipſi in bullas levabatur cuticula, mox foedabatur ulceribus. Nec ullos morbos cutaneos niſi colluviei primarum viarum debitos, aut acceſſionibus exin auctos exiſtere, iuſtaque medendi methodo, vomitoriis ſcil. exanthematicam amandari materiem uberius expoſuit OFFTERDINGER Med. Canſtad. infelici nuper fato extinctus (*c*). Graphice depingitur febris gaſtrica, in qua, ſi evacuationes per alvum ac vomitum negligerentur, humoribuſque pravis in primis viis ſtabulantibus aditus in ſecundas pateret, Exanthemata variae formae, mox eryſipelatoſa, mox miliaria, mox veſicularia, mox maculae bruno-lividae in conſpectum

(*a*) Pyretolog. Berol. 1773. p. 223.
(*b*) De morb. bil. anom. Monaſt. 1780. p. 44.
(*c*) Diſſ. de prim. viis ut plurim. morb. fonte praeſ. GMELIN Tubing. 1761. p. 11. & 41.

prodiere (*a*) & ut in omnibus morbis cutaneis ad primarum viarum diſpoſitionem reſpiciant, ſapienter ſuos monet Medicos Cel. LUDWIG (*b*), cum earum acrimonia plerumque hiſce morbis anſa feratur. Mixtionem morboſam exanthematicam ſemper in primis viis, eorumque originem in praegreſſa corporum longa ac multa impuritate ponit KLOEKOFF (*c*). Cutis vitia ex interna viſcerum labe oriuntur dicente KLEIN (*d*), & haerens in primis viis depravatorum colluvies Exanthemata efficere poteſt. — Sed magnum in Exanthematibus Emeticorum, purgantium ac clyſterum uſum depraedicarunt uno ore Medicinae Lumina, HOFFMANN (*e*), ELLER (*f*), GRAINGER (*g*), DE GORTER (*h*), IUNCKER (*i*), FRITZE (*k*). — Infantes variis obnoxios

(*a*) Recueil periodique pr. VANDERMONDE Tom. XII. p. 358.
(*b*) Adverſar. Med. Pract. Vol. I. p. 202.
(*c*) L. c. p. 95.
(*d*) Interpres clin. p. 259.
(*e*) Med. rat. Syſt. Tom. IV. p. 220.
(*f*) Obſerv. p. 121.
(*g*) Hiſt. febr. anom. Bat. Edimburg. 1753. p. 149. 158. 167. 179.
(*h*) Syſt. Prax. Med. Harderovic. 1750. Tom. I. pag. 149.
(*i*) Diſſ. reſp. Krüger. de Exanth. compl. Halae 1767. p. 90.
(*k*) Med. Annal. B. I. p. 129.

eſſe cutis eruptionibus, quarum cauſſa non alia exiſtat praeter nutrimenta incongrua ac munditiei neglectum, optimamque medelam lenibus inniti purgantibus docet BUCHAN (*a*). Quando prima regio corrupta ac impura materie ſcatet, levis animi affectibus aut ira, aut terror, aut improvida corporis refrigeratio febri Exanthematicae concitandae ſunt. —

Cauſſam Exanthematum primariam haud aliam autumat DAMILANO (*b*) quam materiem putridam corrodentem ex colluvie primarum viarum corrupta, praeſertim bile malae indolis progenitam, ut ſordibus his mature exturbatis non ſequantur Exanthemata certe ſecutura his relictis; Proſtantia Exanthemata eliminatis ſordibus evaneſcunt: Emetica vel purgantia ſaepe Eruptionem eorum avertunt, iiſque praeſentibus Diarrhoea ſuperveniens nunquam cohibenda eſt (*c*). Auctorum, quorum magnus adhuc adducendus foret numerus, ſeriem claudat profundae eruditionis Vir BALLONIUS (*d*), qui erumpere vidit

(*a*) Domeſtic. Medicine p. 603.
(*b*) Ueb. den Frieſel. Gött. 82. p. 19. ex verſ. Cl. LENTIN.
(*c*) HASENOHRL. Hiſt. med. morb. Epid. Viennae 1760. p. 28.
(*d*) Conſil. medic. Lib. II. p. 155. vid. *Opp.* omn. edente THEVART. Paris 1636.

Exanthemata pro excretione per alvum ſuccedanea, pleroſque hepaticos faciei efflореſcentiis maniſeſte tectos, lienoſos multiplici infectos Tuberculo, puſtulas pruriginoſas ſupra inguina alvum male adfectam ſignificantes, ac relictas in cute per plures dies impuritates, Natura auctrice, diarrhoea diſiectas.

Cuilibet autem notum pono Practico, quam parum figura, quae Exanthemati cuidam adiudicatur, licet inde denominationem ortam ſciverim, reſpondeat, ut variolae ſcabioſae ſeſe conſpiciundas praebeant, Miliaria morbillos &c. mentiantur, miruſque ſaepe adſit Petechiarum, miliarium, Variolarum &c. confluxus, qualia exempla variis locis notavit DE HAEN, quod prae primis iniunxit Ill. BALDINGER patronus exoptatiſſimus, uti ex litteris ad me datis video, nec non multiplici vice hanc in rem adtendere nos iuſſit Ill. RICHTER Praeceptor venerandus: idem plane ſentiente Ill. STOLL Viro vero hippocratico, meque laudatore haud indigo, dum ait (*a*) febrem miliarem, petechialem, ſcarlatinam, urticatam, eryſipelatoſam gaſtricae ſemper eſſe originis, ac matura ventriculi & inteſtinorum vacuatione praeverti: Stimulantium vi mate-

(*a*) Rat. med. Tom. II. p. 79.

ries bilioſa ad corporis deſertur ſuperficiem diſflata parte tenuiori, ac relicta in extremis vaſculis craſſiori — Contrahi ſi poſſit morborum bilioſorum dominium, diſparitura fore Exanthemata. — Nec unquam Exanthemata vidit puris ventriculo ac inteſtinis (*a*).

Iubemur undecunque, ut rationem habeamus febris comitis in plerisque *gaſtricae* ſpeciei, quum conſentiat cum inteſtinis cutis, plerumque autem lapſa fuerit abdominis conditio: Peculiaris febris ratio ſemper a colluvie pendet teſte SELLE (*b*), optimis etiam adſentientibus practicis: quantam praeterea praeſtent utilitatem, quibus Syſtema gaſtricum expurgetur, remedia, ſupra iam pro virili eruere niſus ſum. Si autem Miaſma, uti in Variolis ac morbillis, adeſſe noverimus, tunc febris in genere Miaſma qua cauſſam agnoſcet, peculiaris vero eius conditio a primae regionis colluvie derivabitur — Corroboratur & aſſertum perpendendo, quae Exanthemata praecedunt, ſigna, uti Anorexiam, ventriculum officio ſuo male fungentem, cruditates, Excretiones impeditas uti alvinam aut Sanctorianam, materiae corruptae accumulationem, dolorem capitis

(*a*) Ibid. Tom. II. p. 248.
(*b*) Pyretol. p. 205.

vertiginoſum , Nauſeam , Vomitum , pruritum ſubcutaneum :

Nec omittenda ſunt , quae ex eruptionibus cutaneis retropulſis omnigenis obſervari ſolent , incommoda , malum hypochondriacum , ex innumeris ſymptomatibus compoſitus morbus , natales ſuos inde repetit , corrumpuntur ſucci gaſtrici , nervi eiuſdem cavi laeduntur , laxantur fibrae , vires infirmantur digeſtrices , flatus cum phlegmate gignuntur viſcoſo , ſanguinis circuitus per vaſa ventralia ac hepatica tenor inde turbatur , augetur bilis inertia ac corruptio , generatur ſtagnans pituita mater pertinacium ventriculi , ſplenis ac hepatis obſtructionum , proſternitur adpetitus , vexat ciborum faſtidium .

Magnam omnino meretur adtentionem quaeſtio , quam publicae expoſuit luci Anonymus Auctor (*a*) : Cauta nempe primarum viarum evacuatione id impetrari poſſe demum ipſi videtur , ut Exanthemata rariora , mitiora , deſquamatio levior , perſpiratio liberior , hinc omnes morbi alias ſubſequi exules futuri ſint .

Ratio vero , cur eadem ventriculi illuvies modo Encephalon turbet , modo pulmones tuſſe concutiat , nunc miliare , nunc ſcarlatinum ,

---

(*a*) In Ill. BALDINGER Neu Magaz. I. 1779. St. 1. p. 29.

nunc urticatum, nunc Eryſipelas, nunc petechiale gignat Exanthema. varioſque adeo ſubeat modos, ingenii humani curioſam adhuc fugit indaginem.

§. IV.

Eryſipelas.

Morbum facile capiunt, quorum temperies eſt billioſa, quorum bilis leviſſima occaſione uberiori copia ad inteſtina effuſa ventriculum petit: interdum ſupervenire videmus morbis bilioſis Eryſipelas, cuius liquor plerumque flavidum prodit colorem felle tinctum: Febris uti plerumque aſſolet, ſi acceſſerit, rarius erit inflammatoriae indolis, plerumque colluviei vitioſae ad primas vias ſigna emunctae naris medico adparebunt, ſique ſubfuerit inflammatio tunc tantum ut effectus bilis in ſanguinem reſorbtae in corpore phlogoſi apto erit reputanda, ut *Galenus* iam exactum *Eryſipelas* illud vocaverit, quod a ſola fluxione bilioſa pars impleatur: Liquet & id ex medendi methodo, quae inteſtinis ſurſum deorſum expurgandis ſuperſtruitur, attamen potius purgantia fert morbus teſtibus de ZIEGLER, (*a*) & BROCKLESBY (*b*). Autumnali tempore

(*a*) Diſſ. praeſ. SCHROEDER de febr. eryſipelat. Gott. 1771. p. 48.
(*b*) Oeconom. and. med. Obſerv. Lond. 1764. pag.

corpora ad bilioſos diſponuntur morbos, hinc quovis rifrigerio eo anni tempore ſurgere poteſt Eryſipelas; Eryſipelatis acceſſiſſe febrim ſubbilioſam, ſaepe intermittentem duplicatam autumnalem cum perpetua praecordiorum moleſtia, bilem iure ſemper accuſari, fugarique morbum alvo ramentoſa elocutus eſt VAN DEN BOSCH, (*a*) ab animi pathematibus, timore, angore, terrore Eryſipelas deduxit BUCHAN (*b*). Altercationis coniugalis ſignum eſſe Eryſipelas iocoſe innuit Cl. DE NEUFVILLE (*c*). Maxime mea corroboror ſententia obſervationibus HANNEMANNI (*d*), qui virum novit, quoties carne anſerina veſcebatur, faciei Eryſipelate adflictum, & GRASSII (*e*), qui poſt eſum cyprini piſcis nec ſatis ſaliti nec elixati Eryſipelas in pede ſiniſtro expertus eſt. Eryſipelas tum faciei, tum aliarum partium fomitem plerumque circa veſiculam habet felleam, colluviem nempe acrem, non melius exterminandam quam Emeticis ac purganti-

148. No acute fever, whatever, bears artificial purging ſo early without diſturbance, as the Eryſipelas.

(*a*) L. c. p. 195. 207.
(*b*) L. c. p. 276.
(*c*) Diſſ. cit. p. 26.
(*d*) Eph. Nat. Curioſ. Dec. II. An. IV. Obſ. 52.
(*e*) Ibid. Dec. I. Ann. IX. Obſ. 70.

bus teſte Ill. RAHN (*a*). Eryſipelas pendere ab humore acri bilioſo per ſanguinis maſſam ſparſo, Tranſpirationis vias haud tranſgreſſo docuerunt nos TISSOT (*b*) & QUARIN (*c*); Materies eryſipelacea ex bile variis ex cauſſis vitiata & corrupta in duodeni flexu diutius ſtagnante cum ſucco pancreatico quaſi confermentata & acri facta coflatur, inde ad ſanguinem lata febrim efficit, donec ad externum Corporis ambitum pellatur teſte HOFFMANN (*d*) a tumore hepatis ortum vidit Eryſipelas, rhabarbarinis ſanatum HOME (*e*). Eryſipelatis originem e fervente tenuique ſanguine, qui bilioſus adpellatur, & tenuitate ſua ad cutim fertur, eſſe voluit FERNELIUS magnus ſuo tempore Medicus (*f*). Febrim eryſipelatoſam a tenuiori & acri bile proficiſci, methodus antibilioſa demonſtrat, quae ſolventibus, Emeticiſque morbum tollit.

Omiſſis evacuantibus, materieque ope ſudoriferorum vaſis lymphaticis commiſſa in conſpectum prodire Eryſipelas adfirmavit TISSOT (*g*),

(*a*) Diſſ. cit. p. 52.
(*b*) Avis au Peuple, Paris 1767. p. 307. 312.
(*c*) L. c. p. 139.
(*d*) L. c. Tom. IV. p. 306.
(*e*) Med. Facts and Exper. Lond. 1759. p. 152.
(*f*) Univ. Med. Genev. 1679 fol. p. 624.
(*g*) Febr. bil. Lauſ. p. 68. 125.

qui materiem bilioſam proteiformem ad cutim delatam eryſipelatoſae eruptionis non niſi alviductione ſanandae genitricem adpellat: optime rem tetigiſſe mihi videtur SIMS (*a*), qui, corpore Eryſipelate adſecto, magnam biliofae materie copiam ore ac alvo exturbatam, febrim comitem unice continuis victam purgationibus, cutim, dum ſquamas proderet, flavo tinctam colore, ac diſpoſitionem bilioſam morbo concipiendo aptiſſimam vidit. Emeſin ſolam laudat D' ARLUC (*b*) nixus Epidemia.

Purgantia intimis ex animi receſſibus ſuis extulere paraſangis BAGLIV (*c*), MEAD (*d*), MONRO (*e*), FINKE (*f*).

Magis tamen ab eorum ſteterim partibus, qui coniunctam horum remediorum pro indicatione aptius exhibendorum vim haud aſpernantur, & magis conſultam Medici arguit prudentiam, ſi indicatione a caſta experientia abſtracta remedia ſeligit, & felices huic inſtitere tramiti Cl. GRANT (*g*). MEZGER (*h*) & FRITZE (*i*).

(*a*) L. c. p. 35.
(*b*) Recueil period. Tom. VII. p. 55.
(*c*) L. c. p. 142.
(*d*) Mon. ac Praec. Med. ed, Wintringham Tom, I. pag. 33.
(*e*) L. c. p. 246.
(*f*) L. c. p. 55.
(*g*) L. c. p. 348. 445.
(*h*) L. c. Tom. II. p. 168.
(*i*) L. c. p. 265.

Febrim ſociam plerumque biliofam deprehendi obſervavit idem D' ARLUC, quam eadem ſub forma depinxit FORDYCE (*a*). Anxietates, deliria, languores, Vomitum ac Diarrhoeam enormem Eryſipelati iuncta deſcripſit HUXHAM (*b*).

Si externis mederi morbo imperitus quis voluerit, tunc affectorum viſcerum hypochondriacorum ſymptomata, vertigo, Nauſea, alvus turbata, ac tandem viſcerum obſtructiones perverſae medelae clari indices aegrum prement, medicoque meliora haud edocto inſcitiae notam inurent.

Adiicere & id liceat in aſſerti robur, ſecuiſſe ſaepius Cl. LIEUTAUD (*c*). Cadavera morbo hoc defuncta, heparque modo durum ac ſcirrhoſum, modo exſuccum ac lividum ipſi occurriſſe.

§. V.

Petechiae.

Exanthematum indolem inveſtigaturo per partes ire liceat: primo igitur loco ſint *Pete-*

(*a*) Med. Obſ. and Inquir. Vol. I. p. 193.
(*b*) L. c. Tom. I. p. 117.
(*c*) Hiſt. Anat. med. Lib. I. Obſ. 622. ſeqq.

chiae; quam circa materiem egregie meruit Cl. STRACK, cuius librum ſupra citavi: Incipit morbus laſſitudine, lumbagine, ſomno irrequieto, ciborum nauſea, carnium horrore, urina turbida iumentorum ſimili, ventre turgidulo, vomendi deſiderio. Purgantia hoc in morbo pellendo maxime valent, hinc origo eius gaſtrica luculentiſſime adparet: Semper enim impura ſunt praecordia aut propter putridas res infimo ventri inſidentes, aut ob vitiatos cibos, aut ob durum vitae genus, aut ob caeli locorumque iniurias, aut ob commodarum rerum defectum. — Nec ad morbum diſponuntur, quibus puriora ſunt praecordia, aut quos brevi ante *Dyſenteria* inteſtinorum expurgatrix valida, corripit: Quae evanuere iamiam Petechiae, rurſus cutim inficiunt, ſi iuſto maturius impura aut concoctu difficilia fuerint ingeſta. — Quae iungitur morbo, febris ſemper exardeſcit impura primarum viarum colluvie — ſique medelae habueris rationem, plane convinceris, non aliam morbi praeter gaſtricam eſſe originem: Iuvant Vomitoria, quae materiem iſtam ſurſum turgeſcentem, ſuis ex ſignis internoſcendam eiiciunt; multo magis autem *purgantia*, quibus iſta colluvies, morbi cauſſa, exturbatur, eo magis indicata, quod nemo, niſi alvi fluxu, convaleſcat: Sique putridas obſervarunt Petechias bonae notae Practici, nullam aliam putre-

putredinem intelligendam cenſuerim, niſi Sordes inteſtinales haud evacuatae, ob iuſto diutiorem in loco calido tempore aeſtuante ac humido moram, corruptionem contraxerint, magis volatiles ſubtilioreſque redditae, ſanguiniſque tranſmiſſae moli, diſſolutionem, cui antiſepticis medeberis, pepererint Petechias inde pendentes ob maiorem materiae morbidae ad cutim propulſum nobis incognitum: Sed prolata Auctorum fidem poſterorum meritorum teſtimoniis muniendi animus eſt. — Petechias eſſe ſignum, ex quo noſſe liceat, multa impura in infimo contineri ventre adſeruit STRACK (*a*). — Inappetentiam, nauſeam, vomitum, Cephalalgias, horrorem languoremque Petechiarum praenuncios ſtatuit BALL (*b*), notavitque, ab aegro ſaepiſſime tangi praecordia, critico ventris fluxu liberari, qui evadunt, ſaepeque ſtipari morbum porraceae ac nigrae bilis vomitu, laudarique maxime Emetica ac purgantia leniora, quorum vim Natura ipſa ſpontanea Diarrhoea ſalubri haud raro compenſet. Ventriculum in Petechiis cibos averſari, ac ex alvo putrida deſcendere, aqua putrida in primis viis haerente colluvie excludi *Petechias*, omneſque largo alvi

(*a*) L. c. p. 110.
(*b*) Modern Practice of Phyſic. Lond. 1760. p. 102.

fluxu a morbo ſolvi, magnam purgantium iterato exhibitorum ad morbum tollendum vim eſſe memoriae prodidit VOGEL (a). A vermibus ortas Petechias cum peſſimis Symptomatibus, niſi alvo rite morbi principio fuerit proſpectum, obſervavit VAN DEN BOSCH (b), qui & febrem gaſtricam tractandam habuit, cui ſupervenere Petechiae: Cl. BUCHHOLTZ apud Vinarienſes Medicus (c) aegri hiſtoriam refert, cuius Petechiae evanuere, ſimul ac purgante ex Manna ac Tamarindis exhibito Excrementa male olida viridia deiicerentur, Emeticaque tantis effert laudibus, ut, quem aegrum hora ante moribundum vidiſſes, aeſtu, cephalalgia totoque fere morbo ope Emetici illico liberaretur: &, cui omnes venerabundi adſurgunt Practici, TISSOT (d) Petechias cum hypochondriis tenſis ac Diarrhoea foetida ſolutas vidit: Medicuſque pro ſuis meritis haud ſatis clarus DONKERS (e) ait, purgantibus inſolentem illum febris aeſtum infringi, foecum pravorumque humorum fomitem emungi, lethale alvi profluvium praecaveri, Exanthema

(a) Praelect. Gott. 1772. p. 106. & 109.
(b) L. c. p. 102.
(c) V. Fl. u. Frieſ. Fieb. Meim. 1773. p. 28.
(d) De febre bil. Lauſ. Lipſ. 1769. p. 12. & 115.
(e) Idea febr. petech. Leidae 1686. p. 349.

pelli ; & purgationis huius bonos effectus ipſi adeo comprobavit certa experientia , frequens adeo caſſa ac clara , ut , ſi haec falſa ſit aut eſſe poſſit , nulla ſit , aut fuerit , aut futura ſit unquam : Febri biliofae cum praecordiorum anxietate bile in duodeno accumulata , cute flava, urina denſa iumentoſa , lingua flava adiunctas Petechias Emeticis ac purgantibus profligatas memorarunt BISSET (*a*), nec non DUNCAN (*b*). Petechias Dyſenteriae ſocias ſumme biliofae , ubi alvus peſſime olida viridefcebat , ac materies morbida bilem corruperat , nobis ob oculos poſuit FRITZE (*c*). Dolorem hypochondrii ſiniſtri lancinantem per lumbos ſecundum dorſi ſpinam aſcendentem , ad ſcapulas uſque extenſum ex vitioſis ſuccis ac flatibus canalis inteſtinalis natum , ſignum Petechiarum tunc epidemicarum pathognomonicum reperit , purgationiſque laudes expertus celebravit GLASS (*d*). Aeſtatis faſtigio , dum colluvies maiorem adquirebat ſubtilitatem , Petechias cernere contigit Cl. GRANT (*e*) ; aderant dolores in Epigaſtrio , capite , lum-

D 2

(*a*) Med. Conſt. p. 207.
(*b*) Med. Caſes. Edimburgh. 1778. p. 91.
(*c*) Med. Annal. p. 89.
(*d*) Comment. ed. Ill. BALDINGER. Ienae 1771. p. 97. & 110.
(*e*) On fevers London. 1776. p. 235.

bis cum virium deiectione, ſapore oris viſcido, amaro, lingua albida: ceſſere omnia evacuantibus. Petechias non obſervavit niſi alvo ſtipata ac hypochondriis tenſis HASENOHRL (*a*), cuius remedia etiam in expurgandis primis viis conſiſtebant. Petechias deberi acrimoniae primarum viarum biliofae ubi evacuantia omne ferant punctum lucide eruit SELLE (*b*): Nec ullum novi, qui morbum hunc accuratiori pinxerit penicillo magno HUXHAMO (*c*) dolorem ſeverum fixum utraque tempora, ſupercilia aut fundum orbitae occupantem, oculos magnos triſtes flavidos, magnum aeſtum, pondus circa cordis Scrobem, vomitum porraceae bilis, alvi deiectiones foetidas, manuum tremorem, Tendinum ſubſultum, aurium Tinnitum eruptionis Petechialis procurſores vocante, facilem fore medelam in purgando infimo ventre; & aegram hocce decumbentem morbo memini, fere omnia Symptomata nunc expoſita queſtam, cauſſam a turbis abdominalibus ſubpreſſorum menſtruorum effectu deducentem, methodo antigaſtrica feliciter ſanatam. Omniaque

(*a*) L. c. p. 10. SYDENHAM l. c. p. 200.
(*b*) Med. Clin. Berlin. 1781. p. 114. Pyretol. pag. 194. hiſt. Morb. Uratislav. ab Anno 1699-1700. pag. 3.
(*c*) L. c. Tom. II. p. 94.

haec confirmata dabit Tomus quintus Diſput. Pract. ab Ill. DE HALLER collectarum, ubi Opuſcula BRANDHORST, WEITBRECHT & SALZMANNI congeſta extant, quorum excepta dandi irritus eſſet labor. *Petechiarum* criſin per ſedes fieri evicit KLEIN (*a*). Sublatas Emeticis ac purgantibus Petechias memoriae prodidit LETSOM (*b*), multis, quae id innuere videntur, exemplis in medium prolatis. Icterum Petechiarum comitem haud raro obſervavit Donald MONRO (*c*), ſolventia ac purgantia optimum praeſtitere effectum: Retentae in primis viis Colluviei ſucceſſere Petechiae; Memorandum nobis refert exemplum VALCARENGHI Med. Cremon. (*d*), aegri febre biliosa patechiali detenti, & licet febris exigua, tamen maxima inquietudo ſomni omnis fugatrix vexabat, & perfecte ſanus redditus eſt aeger, poſtquam bilis ſincerae, amarae glutinoſae tres fere evomuiſſet libras. Eadem Petechiis ſigna adiudicavit, cauſſamque primis viis haud ſufficienter purgatis tribuit Ill.

(*a*) L. c. p. 223.
(*b*) Med. Nachricht. Altenb. 1777. p. 50.
(*c*) Account of the Diſſ. in Brit. hoſp. London. 1764. p. 163.
(*d*) Med. ration. Tom. I. p. 168.

QUARIN (*a*). Febris gaſtricae epidemicae, cuius exitus Petechiis ſemper terminabatur, teſtis eſt MANGOLD (*b*). Altaque voce idem clamant ratione & experientia ducti Almae huius matris filii GRAFF (*c*) & SCHLICHTHORST (*d*). Nec firmam unquam Medico fore ſalutis ſpem, niſi per alvum ſolennis fiat evacuatio, & alvum fluxam optima inter prognoſtica referri nunquam id circo ſiſtendam, Emeticorumque nihilominus magnum ad curationem eſſe auxilium effatus eſt HOFFMANN (*e*).

Si morbo Epidemice ſaeviente Prophylaxin quaeſierimus, omnino ea ſic perficienda, ut ingruentibus morbi Prodromis ſtatim primarum viarum cruditates everrantur, quas ſemper adfore DONKERS autumat, cum pauciſſimi homines adeo parce vivant, quin pluribus ventriculum onerent cibis, hinc ex optime digeſtis *plenitudinem*, vel in pravum converſis ſuccum, *cacochymiam* procreatum iri exiſtimaverim. —

(*a*) De curand. febr. Viennae 1781. p. 109. & 112.
(*b*) Opuſc. med. Phyſ. ed. Ill. BALDINGER. Altenburg. 1769. p. 39.
(*c*) De Petech. ſin. febr. Gott. 1775. p. 6. 9.
(*d*) De Petech. Goett. 1783.
(*e*) L. c. Tom. IV. p. 228. 241.

Digitized by Google

§. VI.

Aphthae.

Sunt tumores exiguae diametri, vix milii aut cannabis ſemen magnitudine excedentes, in ſquamas abeuntes furfuraceas, valde dolentes: nec ulcuſcula nec puſtulas illas vocaverim, quum feroſa ſcateant colluvie, nec verum in ipſis conſpiciatur pus: Narrat Cl. DIETZ (*a*) hiſtoriam pueri quadriennis fluxionem acerrimam circa linguam ac fauces paſſi cum infinitis Aphthis alvi fluxu, quo bilis reiiciebatur porracea, copioſa reſtituti.

In neonatorum, uti convenit inter omnes, primis viis ingens muci ſat tenacis lactis corrupti, meconiique in inteſtinis retenti latet copia, cuius per os aut alvum evacuatio ſi neglecta fuerit, haerere incipiet in vaſorum extremis Aphthis gignendis idonea: hinc videmus cauſſam morbi aliter plane tolli non poſſe, niſi cieatur vomitus concuſſu ſuo tenacia omnia expediturus, aut deponatur alvus ſecum mucum cum levamine maximo ablatura: Purgantibus ſaepe Aphthas

(*a*) Diſſ. de Aphthis Erford. 1771. p. 10.

praecavit, & cruſtas aphthoſas non una vice proſpero eum ſucceſſu alvo egreſſas vidit VAN SWIETEN (*a*): Caſus extat memorabilis in libro Cl. GRANT (*b*), ubi Aphthae, quibus omnis oris circumferentia tegebatur, per dierum viginti & octo ſpatium ſemper vomitorio aut purgante porrecto abiere, reverſae ſtatim, ſimulac Lac aſininum, potus acidiuſculi aut cortex Peruvianus praeberentur: iiſdem lenibus purgantibus ſimul & id affectum, ut haud exigui momenti Symptomata morbo adiuncta, Meteoriſmus, Singultus, Sudores aegri viribus maxime infeſti ſimul pellerentur: Aphthas obſervavit BISSET (*c*) cum vertigine aut emicrania, quibus ſupervenere miliaria ac Eryſipelas, accedentes & variolis bilioſis & febri eiuſdem generis. Ex glutinoſa primae regionis colluvie Albumen ovi referente Aphthas faceſſi, eaque educta pelli, alvique purgatione criſin promoveri evicit GLASS (*d*) eandem fovente ſententiam DE GORTER (*e*): ab halitu acri ex efferveſcentia Corporis praeternaturali circa hypochondria contingente, tanquam

---

(*a*) L. c. Tom. III. p. 299. 317.
(*b*) L. c. p. 392.
(*c*) Med. Conſt. p. 78.
(*d*) L. c. p. 100.
(*e*) L. c. Tom. II. p. 15.

per oris ſpiraculum ſurſum lato, & illius membranae labem inſigente produci Aphthas verba ſunt Gualtheri HARRIS (*a*). Aphthas penitus pendere a bile acri corrodente, aliiſque eius indolis humoribus, tollendas, eos ſi exturbaveris expertus eſt V. MERTENS (*b*); ex anxietate, ſtomachi pondere, ſenſuum confuſione, ſomnolentia, tuſſicula ſicca, ſingultu, frequenti ſcreatu *Aphthas* futuras praedixit OOSTERDYCK (*c*). Aphthae ſunt ex ventriculo, indicuntur Nauſea, de Diarrhoea male ſubpreſſa quaerendum in aphthoſis eſt teſte KLEIN (*d*).

Medelae autem rationem habentibus res ſemper cedet ex votis, ſi fomitem morbi ex primae regionis ſpecu trahi perſuadere nobis potuerimus: & certe nunquam proſperum adſequemur effectum ex Unguentis ac Linctibus adſtringentibus, niſi antea Emeticis aut purgantibus primis proſpexerimus viis — & morbo exeunte aegrum nunquam cenſeo dimittendum niſi evacuata rurſus alvo, ſi relapſus metum plane remotum volumus: Sic in Aphthis prodeſſe Emetica ac pur-

(*a*) De morb. infant in MORTON Opp. Lugd. 1737. Tom. II. p. 35.
(*b*) Beobacht. Gott. 1779. p. 26.
(*c*) Praec. Med. Pract. Leid. 1783. p. 131.
(*d*) L. c. p. 15. 245. 156.

praecavit, & cruſtas aphthoſas non una vice proſpero eum ſucceſſu alvo egreſſas vidit VAN SWIETEN (*a*): Caſus extat memorabilis in libro Cl. GRANT (*b*), ubi Aphthae, quibus omnis oris circumferentia tegebatur, per dierum viginti & octo ſpatium ſemper vomitorio aut purgante porrecto abiere, reverſae ſtatim, ſimulac Lac aſininum, potus acidiuſculi aut cortex Peruvianus praeberentur: iiſdem lenibus purgantibus ſimul & id affectum, ut haud exigui momenti Symptomata morbo adiuncta, Meteoriſmus, Singultus, Sudores aegri viribus maxime infeſti ſimul pellerentur: Aphthas obſervavit BISSET (*c*) cum vertigine aut emicrania, quibus ſupervenere miliaria ac Eryſipelas, accedentes & variolis bilioſis & febri eiuſdem generis. Ex glutinoſa primae regionis colluvie Albumen ovi referente Aphthas faceſſi, eaque educta pelli, alvique purgatione criſin promoveri evicit GLASS (*d*) eandem fovente ſententiam DE GORTER (*e*): ab halitu acri ex efferveſcentia Corporis praeternaturali circa hypochondria contingente, tanquam

(*a*) L. c. Tom. III. p. 299. 317.
(*b*) L. c. p. 392.
(*c*) Med. Conſt. p. 78.
(*d*) L. c. p. 100.
(*e*) L. c. Tom. II. p. 15.

per oris ſpiraculum ſurſum lato, & illius membranae labem inſigente produci Aphthas verba ſunt Gualtheri HARRIS (*a*). Aphthas penitus pendere a bile acri corrodente, aliiſque eius indolis humoribus, tollendas, eos ſi exturbaveris expertus eſt V. MERTENS (*b*); ex anxietate, ſtomachi pondere, ſenſuum confuſione, ſomnolentia, tuſſicula ſicca, ſingultu, frequenti ſcreatu *Aphthas* futuras praedixit OOSTERDYCK (*c*). Aphthae ſunt ex ventriculo, indicuntur Nauſea, de Diarrhoea male ſubpreſſa quaetendum in aphthoſis eſt teſte KLEIN (*d*).

Medelae autem rationem habentibus res ſemper cedet ex votis, ſi fomitem morbi ex primae regionis ſpecu trahi perſuadere nobis potuerimus: & certe nunquam proſperum adſequemur effectum ex Unguentis ac Linctibus adſtringentibus, niſi antea Emeticis aut purgantibus primis proſpexerimus viis — & morbo exeunte aegrum nunquam cenſeo dimittendum niſi evacuata rurſus alvo, ſi relapſus metum plane remotum volumus: Sic in Aphthis prodeſſe Emetica ac pur-

(*a*) De morb. Infant in MORTON Opp. Lugd. 1737. Tom. II. p. 35.
(*b*) Beobacht. Gött. 1779. p. 26.
(*c*) Praec. Med. Pract. Leid. 1783. p. 131.
(*d*) L. c. p. 15. 245. 156.

gantia antimonialia omnis generis, ac clyſteres dixit ARMSTRONG (*a*), nec unquam Aphthae praeſtabuntur lenes ac tutae, niſi ſuo tempore praeceſſerint vacuationes, naturaque ſub impuro ingemiſcens onere fuerit levata: Clyſterum uſum laudat claſſicus hac de re Scriptor KETELAER (*b*) cui primo diſtinctam morbi noſtri debemus deſcriptionem, toties, repetendorum, quoties, alvus conſtipetur, foeces enim ſic ſubduci ait, ac elui inteſtina, infimi ventris vitia compeſci, vaſa proritari ut maſſas eructent inutiles: Emetica purgantibus mixta extollit BROUZET (*c*); Acrimoniam in primis viis latentem Aphtharum cauſſam incuſat Cl. SELLE (*d*) purgantia optimum vocans antidotum in teſtimonii fidem tracto SAUVAGESIO.

De Neonatorum Aphthis iam locuto perpendendum adhuc ſupereſt, quibus morbis Aphthae facillime aſſocientur in adultis, & ex continuitate membranarum oris ac inteſtinorum concludi iam datur. Tubercula illa, quibus ſaepe omnia

---

(*a*) Samml. für. pract. Aerzt. B. 4. St. 1. p. 69. conf. HIPP. Epidem. III. Tom. IX. p. 259-261. ed. CHARTER.

(*b*) De Aphth. noſtrat. in MORTON Opp. Tom. II. p. 101.

(*c*) Educat. med. des Enf. Paris 1754. T. II. p. 106.

(*d*) Med. Clin. p. 113. Pyretol p. 228.

obſidentur viſcera, ſemper ex adfectis oriri primis viis, ideoque morbos ſocios eandem adgnoſcere originem. Putridi quid aliquando ſubeſſe haud mirabimur, cum Aphthae iam neglecte ſordium eliminationi ſuperveniant, quo tempore illis & reſorbtio in ſecundas vias miaſmate illo inficiendas concedatur: ſic in uliginoſis ac paludoſis Belgii locis endemius eſt morbus, quod tali ſub caelo materia alias Diaphoreſi eliminanda interiora petat morbum effectura. Febribus intermittentibus mali moris bilioſis adiunctas vidit Aphthas VAN DEN BOSCH (*a*), Diarrhoeae (*b*) febri gaſtrico-putridae FANOIS (*c*), Dyſenteriae malignae HILLARY (*d*), febri Epidemicae Culemburgenſi KLOECKHOF (*e*), febri autumnali adeo bilioſae, ut aliquot circa cervicem ſitae glandulae bilem vere flavam ſudarent, lingua ſordibus amaricantibus alte turgeret Cl. RAYMOND Mittelburgenſis Medicus (*f*), febri lentae gaſtricae, cui optime Emeto-Catharſis medebatur, SIMS (*g*),

(*a*) L. c. p. 80.
(*b*) L. c. p. 216.
(*c*) In Hall. Coll. T. V. p. 205.
(*d*) L. c. p. 86.
(*e*) L. c. p. 4. 87.
(*f*) Med. Commentar. of. Edimb. Vol. IV. P. II. p. 142.
(*g*) L. c. p. 164.

curationem eam Aphthis obponit, HILLARY (*a*), ut materiem, cui per cutim exitu ob caelum inſulae Barbadoes pluvioſum interdicebatur, ad inteſtina delatam, ut veram Aphtharum cauſſam, rhabarbarinis eliminet, Phlogoſin, ſi admixta fuerit, reſtinguendo, aut Emeſi, ſi opus, removeat, dein Diaphoreſin antimonialibus excitaturus. Catharſi Aphthas exigit magnus SYDENHAM (*b*), quum eas tantum in febre bilioſa methodo calida tractata ac purgantibus neceſſariis carente oriri velit, eandem ſecuto ſemitam VOGELIO (*c*), quotidie alvum excitandam opinato: Aphthas in adultis impura ventris illuvies produxit eaſque nullibi abſque ſtomachi offendes cruditate; Emeto-Catharſi praegreſſa gargariſmata, quae debilitatem tollant, ſubadſtringentia requiruntur (*d*) Aphthas a vomica prope ventriculum ſita crepaturam paſſa, cuius pus membranam oris attolleret, vidit TODE (*e*)

(*a*) L. c. p. 18.
(*b*) L. c. p. 237.
(*c*) L. c. p. 120.
(*d*) Ill. STOLL. l. c. Tom. II. p. 211.
(*e*) Collect. Soc. Med. Havn. 1774. T. I. p. 113. ſeqq.

§. VII.

Febris Urticata.

Hancce febris ſpeciem, cuius genus eſſet Eryſipelas, edixit Anglorum Hippocrates SYDENAM (*a*), quem imitatus eſt BLOCH (*b*). Febriculam, quae agmen ducit, tamen, & teſte HEBERDEN abeſſe poteſt, excipit puſtularum durarum planarumque per totum fere corpus eruptio, quae utricarum caeſuras referunt nunquam in veſciculas tollendae, extra ſtragula haerente Corpore recedentes, mox Tuberculorum more ſub cute ſe recondentes cum pruritu mordaciſſimo vix tolerando, &, quoties ſcalpturam ſubeunt, aut ſub ſtragulis ponuntur artus, rurſus adparentes. Signa ſocia ſunt urina turbido limoſa, nares ſerum ſtilantes acre, anxietas circa cordis ſcrobem.

Has urticarum punctūras, dum in febre intermittente Emeſi ſudor moveretur, vidit LAUTTER (*c*) evacuantibus ſublatas: exturbari per alvum, & cutim iuſſit ſerum illud acre Exan-

---

(*a*) Opp. p. 736.
(*b*) Diſſ. de Exanth. Fft. ad Viadr. 1762. p. 37.
(*c*) Hiſt. Med. bienn. morb. rur. Vienn. 1761. p. 111.

thematis matrem VOGEL (*a*); & praeter evacuandi neceſſitatem ad Diaphoreſin reſpiciendum eſſe inde liquet, quod catharrhalis quid ſubeſſe ex narium ſtillicidio deduci facile poſſit, & demonſtrat id magnus, quem evacuantibus praegreſſis praeſtitura ſunt lenia Diaphoretica, uſus.

Exemplum praeclarum extat auctore GODART (*b*) febris urticatae, quam praenunciavit appetitus ſex dierum ſpatio proſtratus, cui nec Venae Sectio, nec pulveres abſorbentes, nec purgantia lenia ſunt opitulata: Opus erat vomitorio fortiori, quo materie viſcoſae tenacioris terna per vomitum eructatio ſexque alvi purgationes ſecutae mali radicem evulſere: Emeto-Catharſin laudavit tollendae febri urticatae idoneam Cl. SELLE (*c*) cauſſam morbi acrimoniam primarum viarum ſanguinis molis commiſſam ratus, qui alvi fluxu criſin conſtitui & rhabarbarinis malum mitigari adſeruit: Evacuationem eo uſque produxit CLEGHORN (*d*), donec aeger robore deficeret ei ferendae impar, qui a retrogreſſu Exanthematis ad cerebrum metaſtatice delati mortem inſecutam vidit. —

(*a*) L. c. p. 115.
(*b*) Recuil period. Tom. X. p. 316.
(*c*) Med. Clin. p. 110. BALL. l. c. p. 198.
(*d*) Diſeaſes of Minorca Lond. 1751. p. 221.

Obſervare ſubinde eſt, quovis vere ac autumno redire eiuſmodi Exanthema in ſubiectis, quae circa non-naturalia varia patrare peccata, ubi bilis verna quaſi e ſomno ſuſcitatur ad cutim determinanda, aut autumnalis aeſtu acrior facta ad inteſtina regurgitat cutim in concentum tractura: Maximi uſus heic erunt ſucci plantarum Saponacearum, aut extrata inde parata lenibus ſalibus neutris iuncta, quae viſcerum abdominalium Staſes ſolvant, humoribus craſſis corruptis blandiantur, alvum leviter laxum ſervent.

Sed luce meridiana clarius edocemur febris huius fontem ex obſervationibus miris hac de re conſignatis: ex comeſtis mytulis venenatae forte indolis exorta praecordiorum anguſtia, vehemens infra diaphragma conſtrictorius dolor, facies enormi roſei coloris tumore inflata, ut metum adſpicientibus incuteret, Exanthema urticiforme pectus & artus obſidens coeperunt Cl. BEHRENS (a), quum mytulis veſceretur dein ventriculus vomitui ſe accingens magnam ciborum ac Saburrae copiam reiecit plane evanido Exanthemate: Tertio die ex eadem cauſſa de-

(a) De affectionibus a comeſtis mytulis in WERLHOFII. Opp. Tom. II. Hannovere 1775. edente WICHMANN p. 602.

functum memorat virum urticata adflictum (*a*), Novit foeminam Cl. ISENFLAMM (*b*), eſu Cancrorum, aut cute ipſius tantum aqua, cui incocti erant Cancri, conſperſa, Exanthemate aliquot horarum urticato foedatam, ibidem ſimile de oculis Cancrorum narratur exemplum. HOFFMANN ipſe (*c*) a mytulis nullius frugis comeſtis in coena maximas anxietates, inquietudines, alteroque die totum corpus tuberculis ardentibus, quaſi virgis urticiſque caeſum, obſeſſum obſervavit: idem Exanthema quoque a fragariae veſcae fructu nimia ingeſto copia progigni poſſe magnorum Auctorum teſtimoniis munitus dixit Ill. MURRAY Praeceptor venerandus (*d*).

Liceat mihi adhuc proferre, quod Cel. STROHMEYER praeceptori exoptatiſſimo, cui multiplici me obſtrictum modo publice ac gratus heic profiteor, Hamburgi contigit exemplum, qui, comeſtis prandio mytulis amicas inter confabulationes illico horrore plane inſolito, quem vehemens inſequebatur aeſtus, correptus ſumma angebatur inquietudine, pruriente vehementer cute

(*a*) Ibid. p. 590.
(*b*) L. c. p. 148.
(*c*) L. c. Pars II. Cap. IX. p. 310.
(*d*) Apparat. Medicam. Tom. III. p. 143.

cute rubore inſolito tubercula mentito obſeſſa. Omnia quovis momento augeſcebant Symptomata, donec ſalutari molimine Natura ipſa Ventriculum ſubverteret, alvumque laxitate turbaret, ſanitate confeſtim in integrum reverſa. Id plane ſingulare crediderim, quod, cum plures eodem ſatiarentur ferculo, unus tamen Ill. Praeceptor malo corriperetur.

§. VIII.

Essera.

Eſt ſat rarus de quo dicendi nunc animus eſt, morbus, & paucos certe novi Scriptores, qui eum notatum dederint, ἀντὲπραι, maculas exiguas ſed numeroſas rotundas rubras cum cutis ſcabritie ac pruritu in manibus ac facie praecipue conſpiciundas praecedunt anxietas, capitis dolor, vomituritiones, ipſae convulſiones a Sordibus forte oriundae: Febris ſocia variae eſt indolis, ut tamen gaſtrici quid ſubeſſe nunquam non evinci poſſit: Morbum bene deſcripſit, ſed cum febre confudit urticata SENNERT (*a*).

(*a*) *Opp.* omn. Lugd. 1676. Lib. V. Pars I. Tom. II. Cap. 26.

Eſſeram, adfligente aegrum febre tertiana, quovis Paroxyſmo redeuntem cum Cholera morbo retulit LEVI (*a*) circa aequinoctium autumnale Eſſeram, dum morbi bilioſo-catharrales ſaevirent, vidit BISSET (*b*), eo tempore autem cutim moleſtiſſime laxari, humores morboſos ob eandem debilitatem eo ferri quis eſt, qui neſciat? Cur autem in uno Subiecto Eſſera, rarius vero, occurrat, me praeterit, nec ſcire intereſt, cum medela & caeli temperie & febre comite regatur: Tormina, vomitum, Ileum, adfectiones hypochondriacas morbo noſtro ſaepe adiunctas dixit idem BISSET (*c*), quod nempe tunc tantum materiae morboſae cumulum adfuiſſe putem, ut cutis omni maſſae ſuſcipiendae impar reliquias ad abdominis receptaculum tranſmiſerit, ibi furias exerciturus. Ex aëris conſtitutione ſola mutabili noxiaque Exanthema ſurgere adfirmavit HILLARY (*d*), voce noſtra ex Arabum idiomate deducta, quae Graecis ſuo tempore ὑδρωῶν nomine veniebat, catharrſi ac Diaphoreſi omnem profligari morbum expertus eſt: Eſſeram graphi-

---

(*a*) Diſſ. de morb. Epid. Gott. 1776. p. 12.
(*b*) Med. Conſt. p. 177.
(*c*) Ibid. p. 44.
(*d*) L. c. Introduct. P. IV.

ce deſcripſit CHALMERS (*a*) intermittentium comitem ex acore primarum viarum, aliuſque generis ſordibus oriundam, quam febribus bilioſis haud raro acceſſiſſe locutus eſt VOGEL (*b*).

Medela pro ratione ac vera Experientia morbo obponenda haud erit alia praeter eam, quam adhibitam vult febris ſocia, quae autem quum ſemper, uti ex obſervatis liquet proximiorem aut remotiorem fontem in ſyſtemate abdominali habeat, cui ſaepe Catarrhalis quid admixtum videtur, non amplius dubia Medici animum prement cui inhaerendum ſit methodo nempe antigaſtricae, quam & congruam proclamarunt ſummae famae Medici: CLEGHORN (*c*) purgantibus maxime fuiſſe provectum indicat, adſtringit aegros ſuos Diaetae vegetabili, ſique opus fuerit, Phlebotomiam inſtituens: purgantibus enim eluuntur inteſtina, cutique demitur acre illud: ſique ex Analogia concludi lubet, eidem medendi methodo cedet morbus, qua alii morbi ex inferioris ventris officina uberrime ortum trahentes profligantur.

(*a*) Account of Diſſeas in South Carol. Lond. 1776. Vol. I. p. 87. conf. Ill. MURRAY med. pract. Bibl. B. 11. P. IV. p. 488.

(*b*) L. c. p. 114.

(*c*) L. c. p. 220.

§. IX.

Pemphigus.

Singulare plane Exanthema bullas hydatidum ad inſtar referens, nucis avellanae magnitudine ſeu maiori, aut in omni corporis ſuperficie, aut ſingulis tantum partibus prodiens, turgens ſero mox limpido mox ſubflavo, quod foetere ſaepe olfeceris, ardore ac pruritu moleſtum, ac in quod, aliquot dierum ſpatio elapſo, Exareſcentiae ſtadium cadit. Nonnulli ineunte morbo vomituriunt morbi materiem viriduſculam aut biliöſam: dolor levis, tenſivus vix percipiendus, Nauſea, frigus nullo vero calore ſubſequo, laſſitudo cum Anorexia, preſſorius circa os Ventriculi ſupèrius dolor, anxietas, ructus nauſeoſi, ſapor putrilagineus ſimul, caput doloribus obtuſis adflictum, alvus obſtructa inſimul adſunt. — Quae ſigna niſi originem luculentiſſime demonſtraverint gaſtricam, quid amplius adhuc requiratur ignoro: Idem mecum ſentit FRENTZEL (*a*), qui macularum rubrarum ſpecie morbum vidit, quae poſt Vomitorium antimoniale exhibi-

(*a*) Act. Phyſ. Med. Nat. Curioſ. Norimb. 1754. Vol. X. p. 260.

tum mole ſemper auctae in magnas, quales ex aduſtione exiſtunt, veſicas abiere farciminum inflatorum adinſtar, per totum corpus diſperſas: attamen Emetica repetita eum exeruere effectum, ut Cl. Auctor ea purgantibus longe anteponat, quod omnis Saburra uno quaſi actu reiiciatur, & profundius haerens materia viſcida ex imis pectoris latibulis extricetur. Ebullitio illa teſte DAMILANO (*a*) ſine praegreſſis Prodromis homines aeſtuoſae ac bilioſae temperiei adoritur, quo tempore, vere nempe & autumno, omnia Sordibus turgent, & quidem acerrimis ac ſubtilibus, facilis ideo eſt earum traductio ad cutim ut receptaculum humorum, ſi ita loqui fas, aeſtivorum.

Febrim admodum vehementem ſymptomatibus gravibus ſtipatam, epidemicam, bullis cutaneis efflorescentem in valle *Simmia* Bernatum ditionis obſervavit Cl. LANGHANS (*b*), praecipue ad inguina puſtulas criſin quaſi imperfectam conſtituentes conſpicere erat; ea febris erat indoles, ut ſummo cum levamine ante eruptionem bilis reiiceretur, & medelam omnem legimus ſuperſtructam evacuationibus ope potionum eccopro-

(*a*) L. c. p. 153.
(*b*) Act. Helvet. Baſil. 1755. Vol. II. p. 261.

ticarum, curaque proſpero ſemper caruit ſucceſſu, niſi morbi fini potionibus helleboratis ac ſalinis imponeretur ſigillum. —

Febrem ſociam, cuius genus Symptomatibus, nauſea, ventre obſtructo, anxietate innotuit, vidit FINKE (*a*), aeger quaſi centenis tectus veſicantibus videbatur, bullaeque in pedum plantis ipſis aderant, humore profluo albicante ac tenaci: multis bilioſis ope potuum ſalinorum laxantium alvo ſubductis convaluit. Ipſe novi commilitonem heicce locorum, cui, quoties ventriculus cruditatibus refercitur, Epidermis veras in bullas ſurgit numeroſas, ſed ſumto evacuante ſtatim evanidas, febre plane abſente, aliaſque ſat bene valente iuvene. Saepe materia bilioſa ac pituitaria in primis ſtagnans viis, iter ſibi ſternendo, calore corporis inquilino ad ſecundas vias, dein ad cutim defertur, inque ea eiuſmodi excitare poteſt bullas: nam cur in cute paulo ſtrictiori Tranſpirationi liberae haud adeo idonea non eadem ratione bullae humore ſcatentes Epidermide in altum truſa, exoriantur, ac maculae in cute laxiori, humores ſubtiliores ichorem illum conſtituentes facilius tranſmittente, retenta tantum illorum parte craſſiori

(*a*) L. c. p. 110.

acri, ideoque corium rubefaciente, plane non aſſequor: Sic dum quis ex morbo gaſtrico quocunque convaluerit, nec a materia morbida penitus ſe liberari paſſus fuerit remanentibus in corpore reliquiis ocius tardiuſve Turbas excitaturis, nonne tunc cute irritata materies illa eo deponi, bullaſque movere poterit? quae, ſi medicus acceſſerit conſultior, levi opera methodo reliquias illas everrenti cedent.

Hiſtoriam huius morbi iam exemplo comprobavit Car. PISO (*a*) ſpectatae dignitatis Auctor, Veſiculas ſero ebulliente ſcatere, cuticula extante ac pellucida, corpora gracilia, fuſca ac ſplenica, quorum ſanguis arterioſus eſt attrabilarius ac fervidus, eo propendere inquiens, ſed in Venae Sectionis laude nimis profundi mihi videtur: Febrim admodum malignam bullis iunctam deſcripſit Vir in experiundo diligentiſſimus THIERRY (*b*), cui putridi quid adſperſum crediderim, quum in laude aceti bezoardici tantus ſit, quod quantae in putredine ſit efficaciae, cuique perſuaſum eſſe oporteat: Nunquam tamen omittenda

(*a*) De morbis ex ſeros colluv. Amſteold. 1768. p. 441.

(*b*) Medicine Experimentale p. 134. VOGEL l. c. p. 118.

cenſeo evacuantia, quippe quorum, uti ex anterioribus patet, magna extat utilitas, quaeque omnibus indicantur Symptomatibus: Febrim interdum abeſſe poſſe haud ierim inficias, uti bis ſe obſervaſſe teſtatus eſt DE SAUVAGES (a).

Relapſum morbi ſi variis ex Signis praevidere detur, cauſſa ſemper eiuſmodi in reliquiis abſconditis quaerenda erit, ſemperque ei praecavit Cl. LANGHANS l. c. pulvere ex ſale Armoniaco & mirabili Glauberi compoſito, quippe quo tum ſolvebantur, cum extrudebantur impuritates.

§. X.

Milliaria.

Ab hypotheſium fabrica plane alienus, vanae Diſceptationi, an Criſin conſtituat morbus, nec ne, aut an miliaria rubra plus minuſve periculi minitentur albis, memet haud immiſcuerim, ſola experientia veritatis matre fretus: Adtamen morbum ſaepe ex regimine nimis calido, ſomniatae malignitatis effectu, ſtragulis plumaceis, aëre incluſo infecto, hypocauſtis aëre haud perflatis,

(a) Noſol. T. II. Cl. III. p. 383.

Diaeta in morbis carnea, purgatione primae regionis omiſſa, Puerperarum, uti infra patebit, Analogia poſſe arte produci nemo negaverit: Sudorem acidum ſpecificum characteriſtica inter ſigna refert DAMILANO, omni autem ut caveam obiectioni, ſciendum eſt, ex odore acido non concludendum eſſe, quaſi acido ſcaterent humores, alcalina igitur igni oleum ſubornatura poſcerent, ſed putredinis aut propenſionis in eam effectum eſſe, uti ex medela adhibenda patebit.

Cauſſam miliarium conſtituunt Sordes bilioſo-putridae ſubtiliores primarum viarum facili in ſanguinem reſorbtione ad cutim deferendae, & opportuno tempore haud evacuatae: ita ſibi exanthematis rationem explicat MOLINARIUS (*a*), dum tetra primarum viarum colluvies, ſi non expurgetur, inteſtina diſtendat, glandulas comprimat, obque moram ſanguini tradatur, hinc ſi iuſto tempore alvum duxeris, miliaria haud prodibunt, ſique iam adfuerint, in purgando nunquam deſiſtendum, ut ſaltim fomentum Exanthemati detrahatur, ubi ſtricta alvus non ſolvitur, omnino ſurgere poteſt Exanthema: & quod perſaepe in multos purpura cadat, ex alvi adſtri-

(*a*) De miliarium Exanth. indole. Vienn. 1764. pag. 139.

ctione ſanguinis fluxibus indeque orta debilitate, moerore, ſollicitudine, motus experte vitae genere deducendum eſt: Sordes primarum viarum, neglectis tamen evacuantibus, miliarium cauſſam reputavit Cl. SELLE (*a*). A ſordibus circa praecordia collectis, varii generis Exanthemata, praecipue autem miliaria, prodire, ſurſum aut deorſum exturbatis propellenda, & plerumque tantum ſymptomatis adinſtar aliis adiungi morbis teſtatur Ill. QUARIN (*b*). Semper certam fore Prophylaxin a miliaribus, ſi initio alvus rite purgetur, adſtruxit Ill. ZIMMERANN (*c*), qui & perſaepe miliaria Dyſenteriae ſocia, ſi bilis in inteſtinis retineretur, obſervavit: Eruptionem miliarem haud raro conſpexiſſe contigit Cl. DA-MILANO (*d*) in febribus intermittentibus, quae fermenti bilioſo-putridi praedominium prodebant eliminandi igitur largis alvi purgationibus, quum cauſſa illa in primis ſtabulata viis haud difficile cutis iter ſequatur; & multo rarius exſpectare iuſſit Medicos ſuos miliaria, ſi, quae Exanthematis ſeminia gignit, maſſa bilioſa putrida morbo ineunte ſtatim eiiciatur; & abdomen ſemper,

---

(*a*) Med. Clin. p. 111. Pyretol. p. 160.
(*b*) L. c. p. 98.
(*c*) Von der Ruhr unt. d. Volk. Zürich 1765. p. 458.
(*d*) L. c. p. 22.

uti reor, circumſpecte purgandum incumbit; nec ullo retrogreſſionis metu deterreri nos patiemur, ſi cauſſam nos alvo remoturos ſciverimus.

Notata dedit miliaria DE HAEN (*a*), quae ſimulac aegra ex templo redux vomuiſſet, terga dedere: febribus malignis alvi fluxu ſolutis immunitas a Purpura certa auctore GLASS (*b*), cum ex alvi obſtructione pabulum nanciſcatur eruptio. — Diarrhoea biliosae cum Nauſea, ac vomitu, hypochondriorum tumore ſtipata miliaria vidit PINARD (*c*). Ex vitio viſcerum abdominalium foveri miliaria dixit HOFFMANN (*d*); Pectus & abdomen febre laborantis bilioſa tecta erant miliaribus ope Emeticorum abeuntibus, quibus immenſa bilis corruptae copia expellebatur, cui olidiſſima per alvum excrementa ſucceſſere ſecundum effatum FRITZE (*e*), quae ſi omitterentur, miliaria in veſiculas excrevere ob materiae nimiam copiam: Extat caſus memorabilis in libro Cl. GRANT (*f*) iuvenes, qui de ſtomachi ac inteſtinorum morbido ſtatu conqueſtus ſaltatio-

(*a*) Rat. med. Pars VIII. p. 129.
(*b*) L. c. p. 98.
(*c*) Gentlem. Mag. for the Year 1755. London. m. Octob. Vol. XXV. p. 463. 152.
(*d*) L. c. p. 203.
(*e*) L. c. p. 119.
(*f*) L. c. p. 196.

ne ſe liberatum iri rebatur, quae autem quum non abirent, aliaque primas vias adfectas prodentia ſigna accederent, evacuationibus licet rite per os ac alvum inſtitutis miliaria ſupervenere cum vertigine, urina cruda, pulſu celeri ac parvo, debilitatis ſenſu; hauſtibus ſalinis, fructibus horaeis, regimine frigidiuſculo adgreſſus morbum Auctor pepulit comitibus ſudore profuſo ac urina hypoſtatica viridiuſcula, cui colore & alvus reſpondebat: inde arguo, cauſſam morbi quaerendam in phlegmate ac pituita primis in viis collecta calore ac ſaltationibus adtenuata, ſanguinis maſſae tradita, ac ſudoriferorum ope ante coctionem exhibitorum ad cutim pulſa.

Saepe febres vere bilioſae ſeſe miliaribus adſociant, ut inter eius ſigna hanc retulerit eruptionem SYDENHAM, cuius omnis curatio purgantibus inniteretur (*a*). Icterum miliariaque eodem ſimul tempore praeſentia adduxit STOELLER apud Longoſaliſſenſes Medicus (*b*). Purpurae ſpeciem, quae ad febres inteſtinales pertinuiſſe videbatur, cum tertio die alvus liquida, ac foetida ſequeretur, recenſet MANGOLD (*c*), morbus purgantibus aeſtum non augentibus obe-

(*a*) Opp. p. 657.
(*b*) Beobacht. Gotha 1777. p. 128.
(*c*) L. c. p. 30.

divit: Tormina inteſtinorum cum Diarrhoea ſucceſſiſſe miliaribus, ubi Emeſi omnis morbus auferebatur adlegavit PYE (*a*). Ita plerumque miliaribus Diarrhoeam complicatam animadvertimus, ut materies maligna ſummo cum levamento per guttur egeratur inferius, alvique rationem habendam eſſe iam monuit WELSCH (*b*), qui primus morbum deſcripſiſſe a variis dictus eſt, etſi RIVERIUS ac SENNERT mentionem eius dudum iniecerint. — Pleuritidi vere biliosae iuncta miliaria deſcripſit Cl. GRIMM (*c*).

Materiem effectricem miliarium praecipue in inteſtinis haerere nec ſolo in ſtomacho, ex copia maſſae reſorbtae iudicaverim, & magnus purgantium uſus ubique ſummis extollitur laudibus. — Ne tamen unquam eo uſque progrediare, ut ſedes ob nimis crebra Purgantium praebia fiant fruſtraneae, quae liquidiora tantum deturbent relicta parte tenaciori ac acriori, & animam cum ſedibus perdet aeger, niſi praecipue ſolventia interpoſueris, dein rurſus purgaveris, unde magnum ſequetur lenimen: adtamen ne unice purgantibus inſiſtas, cum ſemper ſordium tur-

(*a*) Med. Obſerv. and Inquir. Vol. I. p. 277.
(*b*) Hall. Coll. Diſp. pract. T. V. p. 452. LAUTTER l. c. p. 143.
(*c*) Epidem. zu Eiſenach, Hildburgh. 1786. p. 37.

Google

geſcentiam, aegri vires, conſuetudinem, ac conſtitutionem in cenſum nos trahere oporteat.

Ita ope unius Emetici ad vigorem redeuntem vidit nobilem juvenem innumeris miliaribus correptum FURSTENAU (*a*): levem Ipecacuanhae Doſin in miliaribus tanquam arcanum apud Germanos famigeratum novit TISSOT (*b*): & levius aegrotaſſe infantes, quibus vomitus ſtatim in morbi principio Natura ſuſcitavit, per omnem morbi decurſum continuus ſaluti fuit teſte BRUNING (*c*), & quoties de haerente in ventriculi villis tabo corrupto ſuſpicio adeſt, non ſine fructu Emetica adhibebuntur: Emetica ſemper praeſentaneam ferre opem dixit GASTELLIERS Aurelian. Med. (*d*), qui inde ſemper magnum bilis atrae viſcoſae, viridiſſimae, nec non muci ac pituitae cumulum eructatum vidit; ſemper praecautum eſt Exanthematibus, aut mitiora reddita ſymptomata: Ipecacuanhae Doſes repetitas maximo aegro ceſſiſſe emolumento exhibitas ob Nauſeam ac vomituritiones praegreſſas, Linguam ſordibus onuſtam viridibus, urinam copioſam citri-

(*a*) Act. Phyſ. Med. Acad. Nat. Cur. Vol. IX. pag. 55.
(*b*) Epiſt. Med. Pract. ed. III. BALDINGER. Ienae 1771. p. 140.
(*c*) Conſt. Epid. Eſſend. Lipſ. 1770. p. 25.
(*d*) v. Frieſ. Fieb. Mannheim, 1782. p. 39. 55.

nam, eliminata bile porracea, pituitaque, teſtatus eſt BERDOT (*a*), qui alvi fluxum nunquam obſervavit moleſtum, aegro & viſcera puro cochleariae infuſum dedit —.

Sed laxantium blandorum antiſepticorum vis medicatrix ac laus in cuiuſcunque Medici ore reſonat, quod nempe Diarrhoea omnia tollantur Symptomata, quam ideo, ſponte ni ſupervenerit, arte excitare neceſſum eſt, & ſordibus illis alvu extruſis, morbus veluti incantamento profligatus ſaepe ſilet totus: ſervata enim alvus lubrica non ſolum morbum reddidit breviorem, ſed & eruptionem feliciſſime praevenit: Caſum aegrae narrat BRUNING (*b*), quae miliaribus correpta decimo tertio morbo die ingentem bilioſae materiae copiam per alvum bis eiecit, noćteque ſequenti alvus ſexies ſoluta incredibilem bilioſae ſaburrae exturbavit copiam, unde optime habuit evacuata per alvum materie acri, & a miliaribus laxantium uſum reddi perneceſſarium dixit SIMS (*c*). Omnis miliarium propulſio ope purgantium antiphlogiſticorum prohibetur cum

(*a*) Act. Helvet. Vol. II. p. 76. ſeqq.
(*b*) L. c. p. 125.
(*c*) L. c. p. 101. PLANCHON in Med. Comment. of Edimb. Vol. II. Pars III. p. 235.

aegri manifeſta utilitate teſte ALLIONI (*a*), qui omnia ab alvi fluxu bona exſpectari iuſſit: Purgantibus plane tolli poſſe miliaria, quae licet retrogrediantur, nunquam Turbas excitatura propoſuit, ſedeſque adeo foetere, ut omnis domus inde inquinetur, odoreque peſſimo nares adficiantur, colicam cum Teneſmis plerumque comites eſſe, edixit idem GASTELLIERS (*b*). Laxantibus corpori facultatem concedi vires ac functiones rite peragendi, cutaneamque inde non minui eruptionem expertus eſt BISSET (*c*). Laxantia autem ita miſcebit oculatus medicus, ut, ſi phlogoſis humoribus adcreſcat, nitroſa refrigerantia ſalinis admiſceantur: & remediis aptis, ſi in putredinem propenſio obſervetur, illa depellatur: vireſque in ſtatu nervoſo erigantur exiguis Emetici Doſibus ac rhabarbarinis, qui ſtatus ſi nobis obvenerit, clyſmatibus magna peragenda ſunt, cum ab omni Excretione valida cautiſſime abhorrere nos oporteat, ut aeger morbo tolerando ſit, viribuſque eius parcatur. — Aeger nunquam ſtragulis plumis refertis ſubgeren-

---

(*a*) De Miliar. orig. Taurin. 1755. p. 67.
(*b*) L. c. p. 39. invenies & aegrorum hiſtorias in libro.
(*c*) Med. Conſt. p. 317.

rendus, ſed in cubiculo aëri pervio ſervandus eſt. Potus ingerantur multi, qui & alvum adiuvent, purgantiumque vim paullulum augeant, omniaque Cola a quavis Staſi forte metuenda liberent. Veneni purpurati vi adpetitum proſterni, ut omnis cibi faſtidium obrepat, ipſique vomitus ac ſingultus ſupervenire dixit NEUCRANTZ (*a*), a materia pituitoſa cum intra primas vias collecta tum ultra eaſdem tranſmigrante provenire miliaria vult magnus STOLL (*b*), qui & materiam aphthoſam cum miliari eandem iudicat.

Liceat paucis mentionem iniicere miliarium, quae plerumque febri Puerperarum, cuius naturae enodandae ſummi inſudarunt Medici, Angli praecipue, DENHAM, HULME, BUTTER, HUNTER, KIRCKLAND, WHITE, LEAKE & LEVRET Galliae decus ſtipantur. Si igitur febrim puerperalem gaſtricae eſſe originis demonſtraverim, ultronea fluet conſequentia, eundem haec miliaria agnoſcere fontem. Alvo diutius obſtructae, variis circa Diaetam vitiis, vitae gravidarum inerti ac ſedentariae, cupidinibus variis, animi commotionibus, motus omnis defectui, preſſioni uteri diſtenſi in omnia abdomi-

(*a*) De Purpur. Lubec. 1648. p. 512.
(*b*) L. c. T. II. p. 162. 167.

nis viſcera, Spaſmis inde oriundis, mutationi humorum abdominalium exin ſurgenti omnino adiudicandum videtur, cur omnes Puerperae abdomine adfligantur. — Accedit & id, tempore partus variis angi miſeras foeminas doloribus potenter in bilem agentibus, regimen ipſis iniungi calidam, imponi ſtragula denſiſſima, ingurgitari potus aromaticos robur addentes, aërem nunquam perflari, variis pollui inquinamentis, maximum, utero liberato, confluere in abdomen laxius debilitatum humorum cumulum, vaſa diſtendi, dolere, cutim laxari ob conſenſum, ſic & produci miliaria, quorum unica criſis teſte WHITE Diarrhoea conſtituitur: & quantum praeſtent uſum laxantia antiſpetica, probavit Ill. STOLL, qui tricies ſine noxa, depoſitis ſemper olidiſſimis ſedibus, puerperas purgari vidit. Putredinem enim ſtatim inſtare ob magnam debilitatem, humorum dudum Staſin paſſorum motum ſubitum, materiae ipſius modificationem, manifeſto elucet; & laetus memini puerperae, quam duce Cl. STROHMEYER nuper tractandam habui febre illa vehementiſſime decumbentem, haemorrhagia uteri ex Sordium abundantia oborta, ac animi deliquio uno preſſo pede alterum inſecuto, ut morituram illam praeſagirem, quam duarum ſpatio hebdomadarum ope laxantium ex Manna ac ſalibus conſtantium ita reſtitui, ut, Extractis ama-

ris poſt porrectis, priſcam demum recuperarit valetudinem. Quid ſi heicce, ut animi deliquio ſubvenirem, praeſcripſiſſem analeptica aut roborantia? Putaverim, deiiciſſem aegram meam in tumulum, quo, multae delapſae iam ſunt Puerperae, quarum vita evacuantibus potuiſſet prorogari.

Sed digreſſum ad viam reducant ſigna illa miliarium, ſudor putridus, alvus laxa, lingua arida, faſtidium omnium ciborum exceptis acidis, inquietudo, gemitus, preſſurae in abdomine ſenſus: Sudamina etiam, quibus Puerperas ſaepe eſſe obnoxias notum eſt, praeter cutis laxitatem nullo in alio loco quaeri poſſe ac in abdomine exin patet, quod Eccoproticis ſudores illi ſtatim cedant, excrementaque tunc eundem plane ſpargant odorem, quem olim in ſudore olfeceramus: Miliaria illa alvo foetidiſſima ſublata multoties obſervavit LEAKE (*a*), qui hancce materiem ſumma cum elegantia expoſuit: & puerperae adeo frequenter illabuntur in febres purpuratas, quod primas vias a ſordibus graviditatis tempore non conveniente pharmaco expurgarint teſte HOFFMANN (*b*). Exemplum narrat LETTSOM

F 2

(*a*) L. c. Vol. I. p. 173.
(*b*) L. c. Vol. IV. p. 220.

(*a*) aegrae de nauſea ac vomituritionibus queſtae, puerperium paulo ante paſſae miliaribus ubivis tectae, alvi laxatae ope in integrum reſtitutae.

Acrimoniam primarum viarum miliaribus excitandis anſam praebere, cui in Puerperis adhuc regimen nimis calidum, varii Diaetae errores addantur, nec non mala Chyli indoles, dixit LUDWIG (*b*). Plurimi evolvendi forent auctores, ſi omnia congerendi animus mihi eſſet, ſed aberrarem certe, cum haec omnibus cognita recoctione haud indigeant: tunc temporis Puerperarum Purpurae dire ſaeviebant, cum STAHL, IUNCKER, eorumque aſſeclae methodo calida Exanthemata vi extruderent, nec bene feciſſe ſe autumarent, niſi aeger Exanthematibus maculatus orco traderetur: ex cura dein praeſervatoria aſſerti veritatem edocemur, quum nuſpiam miliaria prodeant, ſi cubicula aëre puro perflentur, regimen ſit frigidum, Diaeta haud nutriens ſed medicaminum ſcopo reſpondens, omnia, quae putredinem fovere poſſent, removeantur, & evacuantia lenia adeo neceſſaria haud praetermittantur. Quae omnia ſi rite peragantur, fructus

(*a*) L. c. p. 81.
(*b*) L. c. Vol. II. p. 165, 168.

exoptatus nunquam deerit, medici obſtetricii praemium ſummum *ſuarum ſanitas* : valde mihi placet methodus tractandi puerperas ſimplex illa in Noſocomio Havnienſi, quam expoſuit Cl. ROGERT (*a*), & optandum certe, ut, ubique, qui imitarentur, exiſterent ſupremi Magiſtratus indultu adiuti ac ſenſu boni publici permoti —.

§. XI.

Scarlatina.

Maculae ſunt ſaepe adeo diffuſae, interque ſe confluentes, ut facies, omneque Corpus quaſi aduſtum, Epidermide omni deficiente, rubedine tinctum videatur.

Saepe licet morbus obſervaretur epidemicus, tamen dubitaverim, an ſui generis venenum hancce conſtituat eruptionem, uti WITHERING & BANG obſervaſſe autumarunt, cum ſemper e proxime praegreſſa bilioſa Conſtitutione natum morbum, & veram viridem bilem in omnibus aegris hac febre detentis cum diſpoſitione quadam catarrhali remixtam deprehendi ſit : huic conſtitutioni tanquam baſi pro Corporum varietate adiungi poſſe diſpoſitionem phlo-

(*a*) Act. Havn. Vol. I. p. 358.

Digitized by Google

giſticam, aut in locis uliginoſis putredinem, facile perſpiciet, qui Exanthematum ratione ad febrim ſociam animadverterit.

Memoratu dignum eſt morbum characteriſtice ab omnibus aliis interſtingui ob *Anginam* ex eodem fonte natales ſuos habentem, ut febrim noſtram ANGINAE (*Eſquinancie*) nomine TISSOT in Avis au Peuple inſigniverit: Iam ex hoc Symptomate argui poſſe ventriculi malam adfectionem inde elucet, quod plurimae Anginae ex ventriculi oriantur labe, quam ſi in aegro deprehenderimus tempore, quo Scarlatina debacchari poteſt epidemice, & morbo neglecto tumor ſupervenerit leucophlegmaticus, extra omnem dubitationis poſitum erit aleam, Scarlatinam, ſed ſine eruptione cutanea, adfuiſſe, quod hyeme praeterita Viro Cl. Profeſſori optime de me merito accidiſſe memini.

Morbus ſaepe adeo levis eſt, uti praecipue Anglia hoc felici fato frui videtur, ut SYDENHAMO dicente potius morbi nomen, quam aegritudinem mentiatur, & praeter Cl. WITHERING nullum novi Scriptorem Anglum, qui Epidemiam huius morbi gravem memoriae prodiderit, & ut dilucide pateat, morbum ex infimo progredi ventre legendum extat exemplum (*a*),

(*a*) Samml. für prakt. Aerzt. B. V. St. 11. p. 286.

ubi ab avenacea pulte aut Amygdalis comeſtis *Scarlatinus* ſtatim toti cuti inducebatur color: & cauſſam reputarit levem biliofam corruptionem calore antecedentis aeſtatis in tenella aetate ad cutim pulſam PLENCITZ (*a*), qui bili ſoli difficilem adſcripſit deglutitionem. Scarlatinam bilioſo-inflammatoriam memorarunt SENNERT (*b*) SMEZIUS (*c*), & quae cum nauſea cardiaca adoriebatur vomitu ſuccedente, Scarlatinam epidemicam depinxit GOHL (*d*), & Scarlatinae eandem cum Petechiis tribuit originem BRUNING (*e*). Ex ira, aliiſve animi paſſionibus una cum perſpirabili retento moveri Scarlatinam, & bilioſo fomite utrumque notari morbum, bilioſas ſordes maxime communem eſſe cauſſam, quod ſemper animae foetor, nauſea, vomitus bilis cum pituita mixtae, Anorexia conſpiciantur, dixit Cl. HAKEN (*f*): nec unquam puris ventriculo ac inteſtinis Scarlatinam cui ſaepe Icterus ſtipabatur, vidit Ill. STOLL loco iam adlato: omnia ſym-

(*a*) Opp. Med. Phyſ. Tom. III. p. 27. 163. & de GORTER l. c. T. I. p. 197.
(*b*) L. c. Lib. IV. Cap. XII. p. 483.
(*c*) Miſcell. Med. Frft. 1611. p. excidit.
(*d*) Act. Berulin. ad ann. 1717. Vol. II. p. 20.
(*e*) L. c. p. 98.
(*f*) L. c. p. 29. 31.

ptomata praeter Naturam conſpiciunda a bilioſis ſordibus febre excitatis, acredine exaltatis cieri, febrim ſociam ſemper bilioſi quid redolere adſeruit Anonymus Auctor (*a*). Scarlatinam malignam ſine vomitu nunquam vidit SELLE (*b*). Complicationem Scarlatinae cum arthritide bilioſa notavit FINKE (*c*). Scarlatina quoque haud raro ſaevit in pagis, quorum incolis in victum quotidie ſagopyrum cedit: fomes autem bilioſus circa praecordia haerens faciliter adtentioni medici obtruditur id demonſtrantibus lingua impura, ſapore amaricante, ructu nauſeoſo, vomitibus bilioſis; omnis oris mucus ex ventriculo, aegris ipſis ſentientibus, renaſci viſus eſt, & Angina nunquam adeo vehemens, uti in genuinis inflammationibus videre datur, Emetica nunquam diſſuadet, Eruptionem fieri cum Diarrhoea, qua foetida eliminabantur Excrementa, dixit BIKER Med. Roterodamenſis (*d*): Diarrhoeam mirum in modum, quaſi a cutis peripheria ad inteſtina flumine deducto, aegros Scarlatina correptos ſolari monuit Cl. LENTIN (*e*): &

(*a*) In Ill. BALDINGER Neues Magaz. für Aerzte, B. I. St. I. ann. 1779. p. 22.
(*b*) Pyretol. p. 226.
(*c*) L. c. p. 122.
(*d*) Samml. für pract. Aerzt. B. IX. St. I. p. 146.
(*e*) Memorab. Clauſth. Gott. 1779. p. 32.

ventriculo Saburra bilioſa gravato, leniori Emetico maculas in propatulo eſſe gaviſus eſt WEICKARD (*a*): Alvum bilioſam foetidam octavo die ſemper magno cum levamento deiici dixit MANGOLD (*b*).

Curationem autem morbi ſi adtenderimus, tunc magna nobis oborietur ſpei lux, ſi, quanto cum eventu Emetica porrexerint Medici, conſtet palam; Saburra enim ventriculi ex primis quaſi extruditur fontibus, bilioſae ſordes dudum in duodeni flexibus moratae concutiuntur, ad Ventriculum motu antiperiſtaltico regurgitaturae; Diaphoreſis ob motum omni Corpori impreſſum magno cum levamento reſtituitur, a cuius retentione, uti ſupra monui, morbus oriri poteſt; angina ſemper praeſens, nec unquam inflammatoria, minuitur, cum, quae Emeſis exturbat, etiam Anginam gignere crediderim, & acrimonia illa ſtomachalis oris Tunicam continuam irritans leviuſculam producat inflammationem parem tamen deglutitionis actui impediendo.

Sed adiuvent emeſeos efficaciam potus leniter diaphoretici, quibus haud ſine utilitate tartari emetici quid admiſcebitur, & interponantur

(*a*) L. c. p. 15.
(*b*) L. c. p. 52.

ad curationem accelerandam Doſes Salis Ammoniaci cum tartaro emetico ſcopo adtenuandi reſolvendi, deinque rurſus occurret evacuandi indicatio: Emeticorum laudem ſat ſuperque extulit LENTIN (*a*), ut ea omnibus propinaret, etſi Sanorum ſpeciem prae ſe ferrent, toties, quoties eaedem perſeverabant indicationes, ea repetens; & ad perfectam mali ſanationem Emeſin tam neceſſariam, tamque egregiam aeſtimavit, ut conſervationem multorum huic ſoli adiudicet remedio; & abdominis tumore, foecumque foetore methodo evacuatoriae inſiſtere iubemur.

Exiguas Emeticorum Doſes ſummopere praedicavit CULLEN (*b*) ei intentus ſcopo, ut Emeſin paullulum movendo ſimul & alvum ſervet laxam: Emeticis omnia leniri Symptomata expertus teſtatum dedit WITHERING (*c*), qui exemplis aſſerta ſua luculenter confirmat; cumque alvum laxam bonam, ac Diarrhoeam criticam iudicet, quoad Emeticorum Doſes Cullenii tramitem ſequi ipſi lubuit: Emetica ſi negligebantur, diutius aegris cum morbo grandibus ſtipato anxietatibus erat luctandum teſte FINKE (*d*), qui etiam digeſti-

---

(*a*) L. c. p. 33. 35.
(*b*) Anfangſgründe, Leipz. 1780. T. II. §. 672. pag. 87.
(*c*) Account of. Scarlet fever and Sore throat. Lond. 1779. conf. Samml. für pract. Aerzt. B. V. St. II. p. 251 & p. 312—333.
(*d*) L. c. p. 116.

va, mixturas ſalinas ac acidulas laxantibus eccoproticis interponi iuſſit: Omni morbi indicio ſatisfactum eſſe Emeticis & Ipecacuanha, & Anginam inde diſcuſſam adſtruxit *Anonymus Auctor* (*a*). Mala ſemper in primis viis turget materia, quae celeriter e corpore ut removeatur, neceſſum eſt, & ab omnibus ob vim incidentem ac diaphoreticam laudatur providus tartari Emetici uſus — a corpore abluatur Emeſi acre illud bilioſum. — Emetica una cum laxantibus ad Emeto-Catharſin efficiendam, laudarunt DAMILANO (*b*) & VOGEL (*c*).

Sed haud raro fit, ut in craſſorum inteſtinorum ſpecu Sordes collectae morbum acuant, quod ex ſignis communibus erutu haud adeo erit difficile: hinc cuivis ſurget idea exturbandi hancce colluviem alvo purgantium lenium ope, cum varii Diarrhaico fluxu morbum plane ſolutum viderint: & omnem fere ſuperat fidem, quanta foecum aut certe maſſarum inutilium in eo cavo congeratur copia, ut vix, quantum ibi contineri poſſit, animo complecti queas: Ita deſcribit Epidemiam Cl. WEICKARD (*d*), ubi

(*a*) L. c. p. 27.
(*b*) L. c. p. 160.
(*c*) L. c. p. 113.
(*d*) L. c. p. 32.

vomitiones aegrius latae, multoque ſecuriores alvi purgationes erant, ſemper poſt ſecundum aut tertium purgans celeri fuga, quaſi ultimo conflictu, ſe proripuit morbus: clyſmate ſaepe alvus ſegnior erat aperienda.

Innoteſcit cuique, Scarlatinam primo ſuperiori corporis parte erumpere, dein inferiori: inflammatio autem quando deorſum petit, nunquam alvum laxantia Diureticis iuncta praetermittenda ſunt: Leniora laxantia, rhabarbarina, Pulpam Tamarindorum adhibenda ſuaſit KNISPEL (*a*). Eccoprotica lenia antiplogiſtica omne fere ferre punctum dixit BRUNING (*b*). Alvum quotidie oportet reſpondere quod ni fiat, Enemate aut leni purgante ſui admonenda eſt officii, ut humores ſeros lymphaticique, qui in membrana cellulari viſcera abdominis perreptante facile reſtagnare poſſent, libere circumeant, &, qui abundant, evacuentur.

Iuvat meminiſſe adhuc Tumoris illius leucophlegmatici maxima cum cautione tractandi, ſaepeque aegro mortem illaturi: Cutis igitur poſtquam ſubiit Deſquamationem, ſudorque ſemper praeſens forte a refrigerio improvido fuit ſub-

(*a*) Diſſ. praeſ. LUTHER de Scarlat. malign. Erfrod. 1777. p. 27.
(*b*) L. c. p. 100.

preſſus, facies palleſcit; appetitus iam reverſus rurſus proſternitur, Nauſea cum laſſitudine inguit, urinae mingitur copia minor, tunc magna eſt cauſſa, qua hydropem illum metuas eo adhuc certior factus, ſi intumuerint palpebrae nec non oedomatis more rugoſum Scroti involucrum: Qui ventriculum iuſto citius nimia ciborum quantitate, aut incongruis ac dyſpeptis oneraverunt, aut medicamenta purgantia, quae morbo ſemper clauſulam imponere oportet, neglexerunt, aut aëri ſeſe expoſuerunt liberiori, facillime morbo hoc invaduntur formidoloſo. Illum autem tumorem non in cute, ſed in viſceribus radices agere putat PLENCITZ (*a*), & ſoli neglectae primarum viarum evacuationi tribuit hydropem illum HAKEN (*b*); ex ſordibus illis ſurgere mihi videntur contractiones hepatis ſpaſticae, cuius vaſis lymphaticis ob eundem ſpaſmum reſorbtione interdicitur, hinc Aſcitis origo. — Harum ſordium indicia, & vitia alia hypochondriorum ſemper huncce hydropicum cauſſantur tumorem & acrimoniam bilioſam ad cutim metaſtatice delatam cauſſam hydropis illius reputat WITHERING (*c*).

In ſtatu illo cutim ob nimiam ſenſibilitatem ablatae Epidermidis effectum humoribus plane

(*a*) L. c. p. 127.
(*b*) L. c. p. 45.
(*c*) L. c. p. 262.

eſſe imperviam quivis facile fatebitur; peti igitur remediis oportere illam corporis partem, quae maximam cum cute alat armoniam, proſpero, quem Emetica ac purgantia exerunt, eventu erudimur. Emeticis ſolis tumorem praecavere *Anonymus Auctor* & HAKEN, purgantium vero praeſtantiam ob oculos nobis poſuit BIKER (*a*).

Sed rem, puto, acu tetigerint, qui Diuretica purgantibus iunxerint, & quando cutis corio ſuo rurſus fuerit donata, Diaphoreſin movere fuerint conati: tunc omnibus, quae erui datur, indiciis ſatisfiet, plerumque felices Medici erimus.

Morbus autem quum iam ad eum vehementiae gradum fuerit evectus, ut aqua ſtagnans mole augeatur, ſitis cum anxietatibus creſcat, ſomnus turbetur, febris cum Delirio ac convulſionibus accedat, tunc mortem prae foribus ſtare ſuſpicandum eſt: & eo in ſtatu nullum aliud novi remedium praeter cremorem tartari cum exiguis tartari emetici Doſibus, quo cola ſerventur libera remedio, febris reprimitur, aquae, ſi fieri poteſt, eiiciuntur, & aeger ſi cum ſanitate redierit in gratiam, de Diaphoreſi cogitan-

(*a*) L. c. p. 176.

dum incumbit : Purgantia ſola , incipiente hydrope , ſummo cum ſucceſſu dedit DE HAEN , aliis non omiſſis bonis remediis , quae hoc in ſtadio comprobarunt ſummae experientiae viri .

§. XII.

Locum heic mererentur Variolae ac Morbili , in quos iamiam fueram commentatus , ſed in prolixiorem iam exſpatiatus ſum campum , ut omittere ea placuerit , quippe quorum cauſſa proxima conſtituatur in miaſmete quodam , quod hucuſque curioſam indaginem fugit — licet Curatio haud minus proſpere idcirco cedat : qui maiorem adſpergi huic materiae voluerit lucem , adeat HUXHAMUM ac HOME , quos praeſtantiae cauſſa allegaverim , quum inde gaſtricitatis uberrima complicatio lucidiſſime evincatur .

§. XIII.

Exanthemata chronica.

Exanthemata acuta ex primis oriri viis ſi meis perſuaſerim lectoribus , chronica etiam , quae febris non comitetur , eundem agnoſcere fontem , facillima erit concluſio . Nullus enim eſt ex inferioris ventris cauſſa naſcens morbus Cutaneam

eruptionem adſore minitans, qui non in praeliminio Nauſeas ac vomitus accerſat, eruptione ceſſaturas.

Variae formae maculas, ſi fomes bilioſus aut bilioſo-putridus non ſat cito ex corpore eliminaretur, in conſpectum prodeuntes vidit Ill. ZIMMERMANN (*a*), & perturbata alvo faciei rubores ſolvi dixit Divus artis parens (*b*). Lichenes ac herpetes, quibus foedo aſpectu cutis deturpabatur, mercurialibus, quae viſcoſos inteſtinorum humores ſolverent, fugavit TISSOT (*c*). Sub morbi bilioſi epidemici finem, corpore penitus nondum expurgato, haud rarum eſt viſa Exanthemata veſicularia in artubus prurientia, ac profliganda, ſi morbi materiem in corpore reſidem alvo exturbaveris. Exanthemata peſſimi moris a bile circa praecordia haerente, nervoſque ſingulari modo adficiente deduxit FINKE (*d*). Si facies contaminata eſt naevis, lentigine, baronibus, ſemper aliquod in praecordiis latet vitium teſte Ill. RAHN (*e*). Faciei cutis alteratur

(*a*) Hannöverſch. Magaz. J. 1772. St. V.
(*b*) Praenot. Coac. 207. 209.
(*c*) Ep. Med Pract. p. 165.
(*d*) L. c. p. 105.
(*e*) L. c. p. 51.

tur ac deflorefcit, quoties male ſeſe habet ventriculus. Multi nitidiſſima donati cute ſi per tres quatuorve dies epulis indulſerint diſſolutis, aut potus exceſſibus inſueti, protinus tumoribus rubicundis ad frontem, oculos ac nares deturpantur, unde omnes eiuſmodi hominibus ebrioſitatem exprobrant; vitiata digeſtione ac bilis excretione in lemas abire poſſunt hae maculae. Bilis acris mora corrupta puſtulas efficit prurientes: ita novi Amicum, cui quovis vere ac autumno, dum bilis commoveri varia ad loca ſolet, Eſfloreſcentiae prurientes, rubrae variae formae cutim tegunt, terga daturae ſimulac leni purgante alvum moverit.

Aquarum mineralium leviſſimus uſus ſaepe puſtulas extulit prurientes, & fere nullum innoteſcit Exanthema, quod alvi fluentis beneficio aut urinarum diluvie, ſi non penitus tollatur, tamen mitigetur.

Nigrae puſtulae eſſloreſcunt quibus ferventius eſt iecur, teſtante BALLONIO meo (*a*). Leprae & impetigines fiunt ex atra bilevomitionibus obnoxius ac Lienteriam paſſus laborat herpete miliari ac diſpoſitione aphthode, quae ſem-

(*a*) Epid. & Ephem. Lib. I. p. 99.

per biliofae eſt indolis. Facies rubet maxime foeminis circa annum quinquageſimum, quibus valedicere menſtrua ſolent, & ſemper primarum viarum, quaecunque illa demum fuerit, conſpicitur labes: aſt alia tacebo:

§. XIV.

Scabies.

Quem morbum licet ad Pathologiam retulerint animatam LINNAEUS ac PRINGLE (*a*), tamen non poſſum, qui horum magnorum virorum auctoritati aſſentiar, quippe vermiculos illos potius morbi effectum, quam cauſſam crediderim, qui nempe, ubicumque Sordes ac corporis immunditie adſunt, facile nidulantur. Quare cute debili, vivendi modo ſordido, alimentis rudibus tenacibus concoctu difficilibus, Corporis totius flaccedine facile oriri poteſt. — Scabies, ſaltim in eam propenſio exin ſurgit, ex abuſu alimentorum crudorum, farinaceorum, male fermentatorum, fructuum immaturorum ac auſterorum, ingluvie carnium ſale conditarum corruptarum, aquarum paludoſarum, ortam crebro

(*a*) Obſ. on Diſeaſ. of Army. Lond. 1761. p. 308.

Scabiem, dum magni Boruſſorum Regis copiarum ſanitati, proſpiceret, vidit Ill. BALDINGER (*a*): haecce cutis pruriginoſa aſperitudo excitat maximum ſcalpendi deſiderium, recrudeſcens ſemper, quoties focis adſidemus, aut calori lecti corpus noſtrum committimus: ad Baſin durae ſunt hae papulae aſperae, ad apicem ſero pellucido plenae ſemper in digitorum interſtitiis, artubus ac corporis trunco conſpiciundae, nunquam in capite ac facie: indeque argumentum deſumſit Cl. BISSET (*b*), quod ab animalculis cutaneis Scabies fieri nequeat, quum nulla adpareat ratio, quare iidem vermiculi caput non eadem petant ratione ac artuum iuncturas?

Scabiei fontem in abdomine latere adſtruxit Cl. DE NEUFVILLE (*c*), licet ipſius enunciatum mihi videatur nimis extenſum, cum Scabies, quae a mero exiſtit contagio, ſine ulla noxa ſtatim unguentis curari queat, quae Sulphur ingreditur: adtamen id certiſſimum puto, rarum eſſe exemplum, ſi Corpus plane integrum Scabie corripiatur, praeterea ſimulac cutis inquinata ac puſtulis obſita exiſtit, ſtatim complicatio

G 2

(*a*) Krankh einer Armee, Langenſ. 1765. p. 243.
(*b*) Med. Eſſay p. 261.
(*c*) Diſſ. cit. p. 27.

Syſtematis gaſtrici ob arctum illum conſenſum aderit, labetur viribus canalis inteſtinalis, cuius humores eadem contaminabuntur ratione. — Magno illo pruritu magnum prodi mihi videtur irritamentum per omne ſpargendum corpus, ac inteſtina adoriturum, ſaepe tantum, ut in adpetendo Bulimus, ac febris lenteſcens ſuperveniant: magnam ſaepius ſordium bilioſam adfuiſſe copiam in ſcabie, teſtantur exercituum morbi, in quibus Medico nil debet eſſe antiquius, quam primas bene exonerare vias teſte GRAINGER (*a*): Sic ſcabiem memorat BALLONIUS (*b*), ubi obſtructiones venarum meſaraicarum, unde pravorum humorum proventus, cauſſam incuſat: repurgandum igitur erat corpus a prava colluvie, aeger ſimul temperici erat bilioſae, quem rite expurgari decebat: & miaſmatis ſcabioſi intimiores dotes putat eſſe degeneratam bilem STORR (*c*), qui & caſum Maniae Scabie inſita ſolutae ex Diſſ. Cl. TOGGENBURGER teſte MUTZELL refert: Scabies a Sanguine & Sero acri cum bilioſitatibus primarum viarum producitur teſte HOFFMANN (*d*), quo conſtitutio corporis ma-

(*a*) L. c. p. 96.
(*b*) Conſil. med. Lib. I. p. 135.
(*c*) Diſſ. reſp. CAMERER de Effic. Inſit. Scab. Tub. 1781. p. 19.
(*d*) Diſſ. reſp. GEBAUER de morb. cum Colore Cutis depravato, Halae 1714. p. 37.

gis biliosa ; eo ſiccior ac minus grata Scabies exiſtit, hinc plerumque endemice graſſatur in populos, qui malo victu dyſcraſias dictas ſibi accerſunt. Adfectum ſcabioſum ex Sanguine bilioſo ac aduſto ortum habere adfirmavit HILDEN (*a*).

Infantes, multo facilius adultis Scabie corripi, qui eſt, qui ignoret: hinc BROUZET (*b*) Scabiem infantum ex vitiis digeſtionis ac ſecretione inſufficiente humorum, praecipue bilis, quae in Sanguinis continetur maſſa, uti omnes fere morbos cutaneos, deduxit: Eiuſdem Scabiem originis ac Petechias eſſe experti ſunt BUCHHOLTZ (*c*) & HASENOHRL (*d*).

Nullus autem exiſtit prudens Medicus, qui, antequam methodum externam in uſum trahat, non ad primas vias reſpiciat fere ſemper adfectas, & expurgantia ſemper fore utiliſſima experiatur, promovetur inde peccantis humoris coctio, maiorque fit in cute eruptio.

In ſcabiei curatione ante omnia de alvo ſalutariter ſolvenda cogitandum eſſe, alias omnia lentius, ac cum maiori vitae periculo, peragi morboque

(*a*) Obſervat. ed. HENNINGER, Argent. 1717. pag. 361.
(*b*) L. c. Tom. II. p. 110.
(*c*) L. c. p. 77.
(*d*) L. c. p. 44.

ex ventriculo ac inteſtinis, continua advehi incrementa, medicamentaque ibi corrumpi adſtruxit HUNDERTMARK (*a*). Eccoprotica eidem baſi innixus commendavit METZGER (*b*): Scabiem purgantibus mitigari quotannis regreſſam terga dediſſe Urticatae erumpenti dicunt *Medical Commentaries* of Edinburgh (*c*): & optima in Scabie remedia propoſuit purgantia ac alterantia VOGEL (*d*), eidem plane ſentiente SHAW (*e*), qui ea porrigenda ſuaſit, donec omnia in cute diſparuerint.

Scabiem epidemice omnem in Angliam ſaevientem deſcripſit BISSET (*f*) praegreſſis doloribus in Scrobiculo cordis, praecordiorum anxietate, ponderis ſenſu, adpetitus proſtratione, Nauſea; quae nunquam Sulphure profligari poterat ſemper poſcens laxantia, Cremorem tartari, antimonialia & depurantia remedia, quibus malum penitus ceſſit, quod & expertus repetiit (*g*): & exemplum adfert FORDYCE (*h*) Scabiei

(*a*) Diſſ. reſp. ZIEGER de Scab. artific. Lipſ. 1758. pag. 17.
(*b*) L. c. Tom. II. p. 101.
(*c*) Vol. II. Pars II. p. 158.
(*d*) L. c. p. 609.
(*e*) Practice of Phyſic. Lond. 1745. Vol. I. p. 331.
(*f*) Med. Conſt. p. 261.
(*g*) Med. Eſſays. p. 261.
(*h*) Med. Obſ. and Inquir. Vol. I. p. 194.

Digitized by Google

mali moris nulli remedio externo obſecutae, medicaminibus digeſtivis ac laxantibus plane ſublatae: Chinam exhibere ultimo fine haud erat ſupervacaneum.

Quivis demum facile concedet, morbum, quicunque ille fuerit, levius ferri puris primis viis, quum ſemper exin fomes morbo adcreſcat.

Patet mali fons, ſi Symptomata, quae Scabiei retrogreſſus gignit, conſideraverimus, exin ortas vidit ſternutationes Ill. RAHN (*a*), quarum inſultum ſemper doloris in abdomine ſenſus praecedebat: Si ſine praegreſſis evacuationibus debitis Scabies retropellatur, viſcerum inflammationes, febres, labes inteſtinorum inde efficientur teſte quotidiana Experientia: per inteſtina eliminari oportere, quae cutis poros obſtructos penetrare nequeunt, hinc in Scabie exigi laxantia concluſit MONRO (*b*): & Scabiei unguentis retropulſae effectum Emeticis dilutis ac purgantibus per quatuordecim dierum ſpatium exhibitis ſublatum memorat LANDAIS (*c*).

Ipſe HIPPOCRATES poſt diluentium uſum

(*a*) Diſſ. cit. p. 34.
(*b*) L. c. p. 270.
(*c*) Journ. de Med. Tom. XLI. p. 21. conf. Ill. DE STORCK pract. Unterricht p. 63.

fortiſſima commendat *purgantia*, helleborum, peplium: Nunquam omittantur potus ſanguinem depurantes, ad Diaphoreſin corpus pronum reddentes, uti infuſa *fumariae*, *Lapathi acuti*, *Sambuci*, *Taraxaci*, *Sonchi*.

Aſt ratio habeatur Complicationum forte accedentium; ubi phlogoſis ac ſanguineus habitus obſervatur, Venae Sectio magna praeſtabit: ſique ea fuerit Epidemiae indoles, ut putredinem ſuſpicemur, antiſepticis dimicandum eſt, quae haud male cum evacuantibus reniſceas, cum putredinis origo in prima regione radices habeat: Corpore autem penitus parato refugium quaerendum eſt in Unguentis ſulphuratis, quibus cum ſucceſſu mercurialia adiici poſſe docuit WERLHOFIUS: aegro reſtituto, debilitate corporis remanente, Chinam exhibuiſſe te non poenitebit.

§. XV.

Herpes.

Herpes conſtituitur ſquamis veſiculiſque, quae ulcerationem ſerpentem inducunt, ſaepe ſiccis, ſaepe humeſcentibus: cuius morbi antiquiores Medici praecepta diligentiora nobis haud reliquere, ut tempore PLINII (*a*) inter novos referetur morbos, qui Tiberio regnante natus crederetur.

(*a*) Hiſt. Nat. Lib. XXVI. Cap. I.

A bile ſincera, ſupervacua ac ardentiſſima aeruginoſa pendere arbitratus eſt AVICENNA (*a*). Quem circa morbum legi meretur dexterrimus SCHMUCKER (*b*), qui iracundos huic morbo prae caeteris obnoxios animadvertit, cauſſamque in acri, corrupta ac biliosa Lympha rite poſuit, cui accedunt haud raro glandulae abdominis aut hepatis durae obſtructae, ut remedii loco praecipue commendarit mercurium dulcem cum infuſis herbarum antiſcorbuticarum.

Eruptionem in collo herpeticam ſublatam vidit TISSOT Emeſi ex Ipecacuanha, cui Diarrhoea ſucceſſit Leienteriam mentita: & herpetis praecipuam cauſſam reputavit acrimoniam bilioſam Cl. SELLE (*c*). Inter herpetum frequentiſſimas cauſſas recenſuit LORRY (*d*), adfectus inter animi triſtes qui perſpirationem tardant, vaſiſque cutaneis inertiam inducunt ac Atoniam, primas labefactant vias.

Aſt herpes, ſi ventriculum tetigerit, producturus eſt varia mala, aeſtus intraneos, Linguam ſordidam, reſpirationem celerem, cuius ſocia eſt ſaepe *febricula*; opus heic eſt purgan-

---

(*a*) Fen. 3. Cap. VI.
(*b*) Verm. chir. Schrift. T. I. p. 163. auct. EWERS.
(*c*) Med. Clin. p. 217.
(*d*) L. c. p. 314.

Digitized by Google

tibus incidentibus, quae lentorum illum atrabilarium ſolvant, viſcorem piceum humorum Syſtematis Venae Portarum adtenuent, bilem inertem morboſorum conaminum effectricem educant: Febribus bilioſis male curatis ſupervenientem obſervavit herpetem GRANT (*a*), qui illo malum hypochondriacum ſolutum, obſervavit.

Conſtitutio atrabilaria, cuius Symptomata pulſus tardus deiectus, debilitas ſomni turbulentia, Pavores cum inſomniis abdomen flatibus diſtentum, alvus adſtricta, Lingua ſordidiſſima, anima foetens erant, mater exiſtimabatur herpetis epidemici non tollendi, donec ſuccus melancholicus remediis congruis fuerit exturbatus: Cicutam cum antimonialibus ſummo cum eventu adhibitam fuiſſe teſtatur idem GRANT (*b*): herpetis materia continenſque cauſſa eſt bilis nullo fluxionis impetu e venis expurgata, tenuitate omnes partes tranſgreſſa, dum denſiorem adtingat cutim teſte FERNELIO (*c*): & ex colore Exanthematis flavido iam deduci poſſe eius indolem dixit HOME (*d*), cum in Xenodochiis, ubi Diaeta ſalita ac habitatio erat humidior,

(*a*) L. c. p. 365. 380.
(*b*) L. c. p. 448.
(*c*) L. c. p. 626.
(*d*) L. c. p. 439.

frequenter vidit: Exemplum adnotatum legitur in TULPIO (*a*), ubi Vir pleni habitus ac calidioris iecinoris vehementer circa praecordia dolebat cum acri pruritu, inſigni dolore, frequentibus puſtularum conglomeratarum circulis, herpte; Virulenta materie ſemel ad interiora rapta animus defecit, & requirebantur blanda laxantia, quibus leniter expelleretur bilis, intemperies viſcerum corrigeretur, claro indicio abdomen fuiſſe materiae peccantis latibulum.

Locutus eſt & BANG (*b*) de herpete, ubi cutis dura erat, Epidermide facile ſpolianda, corrugata ac rubens, digiti tumidi excoriati unguibus ſimul laeſis: Facies cum obſcuritate pallеſcebat, praeſcripto purgante Ialappino omnia tollebantur: Nulla coctione aut praeparatione praeviis purgandi ſunt, qui herpetibus laborant; eccoproticis ſubluenda alvus, & bilis lymphae adnexa ex inteſtinis expurganda, quum ſemper adſit ſtomachalis Saburra.

Saepe, ſi indicationes urſerint, auſpicandum erit a Venae Sectione, nec unquam negligenda balnea tepida aquea, in quorum laude multus eſt Cl. LENTIN, vaſa enim cutanea inde laxantur, expeditur perſpiratio cutanea, & reſor-

(*a*) Obſerv. Med. Amſtel. 1672. p. 256.
(*b*) Act. Hafn. Vol. I. p. 357.

betur per poros bibulos magna humorum Sanguinem mundaturorum copia, quem in ſcopum ſemper optimo cum ſucceſſu iniunxit b. nunc OSANN poſt mortem etiam mihi carus, deſideratiſſimuſque ſumi pulverem, qui aequales antimonii crudi, herbae cicutae, tartari vitriolati ac Concharum praeparatarum partes recipit, & aegrorum inde reſtitutorum non una vice oculatus cum ipſo adſtiti teſtis, depurantur inde humores ſolvuntur ſtaſes dein exinaniendae —.

Ne autem ex veteri fermento diſpoſitio reviviſcat herpetica, renovandus, adque priſcam redigendus eſt ſtabilitatem vaſorum Tonus, quem in finem exulare iubemus omnia nimis irritantia, eligimus aptius aquas minerales ex ferrugineis, quae roborent, perſpirationi ac coctioni iuſtam adſerant integritatem.

§. XVI.

Impetigo.

Malum ab herpetis Natura haud adeo abnorme: Cruſtae ſunt nigreſcentes, aſperae, prurientes, faciei praecipue infeſtae, oris meridionalibus, quas torret directa ſolis impendentis actio, communes, nicomplicatio exiſtat, purgantibus cedentes, quum ſerum acre ex primis prodeat

viis : Semper autem adtendas, oportet, an labes venerea aut ſcorbutica ſubſit nec ne, cui medela adaptanda eſt ſingularis: Caetera uti in herpete ſe habent. Narrat Cl. DE MEZA (*a*) exemplum viri temperiei valde biliofae, ſtaturae gracilis ac tenuis, cui in facie comparuit impetigo urens, quae natales ex bilis abundantia traxit.

§. XVII.

Lepra.

Qui antiquitus hunc deſcripſit morbum, fuit MOYSES (*b*) in Codice ſacro: Conſtantes morbi Characteres ſunt mutatus cutis color, ac partis adfectae inſenſibilitas; maculae ſunt rubrae, aut in pallidum vergunt colorem: plerumque primo infeſtantur regio pilis obſita ſub axillis, regio pubis, & omnium maxime nates, ubi muſculi glutaei multa pinguetudine tecti iacent: Tubercula ac nodi, ſi mali principium negligitur, ſurgunt, aegri in hoc morbi ſtatu alvi obſtructionibus valde ſunt obnoxii, purgantiumque auxilio maxime indigent.

(*a*) Act. Hafn. Vol. II. p. 1. ſeqq.
(*b*) Levit. Cap. XIII. v. 2. ſeqq.

Si malum praecipue pedes affecerit, *Elephantiaſis* audit, ubi oſſa intumeſcunt, cutim expandunt, ut muſculi ad tendines inter ſe concreſcant, articulationeſque reddantur immobiles. Stipari Elephantiaſin dolore ventriculi ac vomitu, quem potu calido excitari oporteat, obſervavit HILLARY (*a*). Spiritum gravius olere, frequentes cieri ructus, dureſcere alvum, concidere adpetentiam, ſomnia, moerorem ac anxietatem ſupervenire, exhibenda igitur eſſe medicamenta, quae atram purgent bilem, ſanguinem adtenuent craſſiorem ac helleboriſmum inſtituendum ſuaſit HOLLERIUS (*b*). Ex ſucco melancholico ac pituita ſalſa morbum deduxit TURNER (*c*). Saepe lues venerea admiſcetur Leprae, aſt nemo credat, lepram eſſe veneris effectum, aut Lepram fuiſſe in luem mutatam, dum Copiae Gallicae Neapoli novo corripiebantur morbo: ſed inter morbi ſigna laſcivia ac inexhauſtum coeundi deſiderium referuntur, ut ob crebriorem carnis comixtionem facilius malum illud oboriatur, hinc ARETAEUS Cappadox optimus Vetuſtatis poſt Hippocratem ſcriptor morbum SATYRIASIS nomine inſignivit.

(*a*) L. c. p. 305.
(*b*) L. c. L. I. p. 280.
(*c*) Von. d. Krankh. d. Haut. Altenb. 1766. p. 35.

Curam a laxantibus ſemper auſpicatus eſt SCHILLING (*a*) iunctis Clyſmatibus emollientibus: quae ſi indicationi non ſatisfecerint, ad fortiora progrediendum: & interponenda eſſe ſemper, dum Leprae mederi conamur, cathartica quae craſſis & acribus humoribus foras eiiciendis maxime ſunt idonea, ac in urinam quoque agendum eſſe ſuaſit magnus MEAD (*b*); idemque & SCHILLING mentionem iniicit foeminae Surinamenſis, quae magnum aegrorum Lepra decumbentium numerum reſtituit propinato primum purgante, quod ex Gummi Gambogiae componebatur, extus illiniendo maceratam Cuſcutae herbam in pulticulam atram ope mortarii mutatam, Limoniorum ſucco admixto in unguenti formam redactam, terque quotidie exhibendo libram unam decocti aquoſi e ligno & radice fruticis cuiuſdam Ulmi ſpeciei haud abſimilis, quod TONDIN vocat, nil tamen proficitur abſque praemiſſo purgante: Quoad balnea, Diaetam, potus, motum Corporis ea accipito, quae alibi iam adtuli.

Iuvat adhuc memoraſſe duo Leprae exempla, quae in Medical Obſervations and Inqui-

(*a*) Diſſ. de Lepra. Trai. ad Rhen. 1769. in Ill. BALDINGER Syll. Opuſc. Vol. III. p. 39.
(*b*) Morb. Biblic. in Opp. Gott. p. 20.

Digitized by Google

ries (*a*) ; memoriae prodidit IOANNIS , quorum alterum in Sartore rei militaris , quo recipiundus mox erat , timido . alterum in filia , quam , pater ira ſuccenſens interemturus videbatur , deprehendebantur — Quantum timor ac terror , aliaque animi Pathemata in Syſtema valeant gaſtricum , inter omnes convenire cenſuerim .

§. XVIII.

Tinea Capitis.

Tinea eſt vox generica varias complexa ſpecies , quo *porriginem Achores* , *favos* retulerim , licet teſte Ill. MURRAY (*b*) , non ſpecie , ſed gradu tantum haec mala differre recte putet. Sunt autem manantia & chronica partis capitis capillatae ulcera cum pruritu mordicante & ardorem incitante , ſcalpendi deſiderio , loco intumeſcente cum pediculatione , vermiculis ſub cruſtis deliteſcentibus odorem tetrum ranceſcentem ſpargentia , plena ichore ſubpurulento : cauſſa mali , teſte SENNERT , eſt humor bilioſus Sanguine receptus ,

(*a*) Vol. I. p. 201. conf. HEBERDEN in Med. Tranſact. Vol. I. p. 29.

(*b*) De Med. Tin. Cap. rat. Progr. Gott. 82. p. 6.

ptus ; ac circuitu ad capillos advectus , & Cl. DUNCAN (*a*) eruptionem memorat achoroſam , quae omne vaſorum Syſtema adficere videbatur , uti ex frequentibus cephalalgiis ac vertigine praegreſſis patuit , & cum retrorediantur Exanthemata , nullum alium exitum novi aptiorem alvo , quam ſalinis purgantibus laxari oportet : Achores plerumque Diarrhoea ſolvi dixit KLEIN (*b*) : & in tinea Capitis iecur contemperari iubet BALLONIUS (*c*) ; & quamquam Ill. MURRAY (*d*), malum autumet topicum bulbis capillorum inſidens , tamen nunquam omittenda purgantia cenſuit , quibus primae viae , quae in omnes tantum exercent imperium morbos , expurgentur. Tollendam ſuadet ingluviem LORRY (*e*) , quae ſemper ut prima ac praecipua Achorum cauſſa habetur , pendet enim malum ab indigeſtae lymphae copia . Legi praeprimis meretur hac de re FORESTUS (*f*) .

(*a*) Med. Caſes p. 248.
(*b*) L. c. p. 157.
(*c*) Conſil. Medicin. T. II. p. 232.
(*d*) L. c. p. 13. & 17.
(*e*) L. c. p. 440.
(*f*) Obſ. ac Cur. med. L. VIII. Obſ. XVII-XXVI. p. 246-251. Francof. 1602.

Videmus nunquam Tinea infantes invadi quibus pura exiſtit prima regio, ſemper aderunt obſtructiones viſcerum abdominalium, pituita tenacior & acris, ſtaſes in vaſis meſaraicis, conſpiciundae: magnum huc conferunt Symbolum ſcrophulae, quae nunquam ſine primarum viarum labe infeſtant.

§. XIX.

Elegantiſſimum, ſed longum, quod Tyronis humeros ſuperatu tum fore facile quilibet ſenſerit eſſet Thema, ſi omnes qui Cutim infeſtare ſolent, morbos exarare vellem: Requireretur enim hunc ad ſcopum coniuncta medicorum doctorum opera, qui in variis mundi partibus ſedem figentes praxin exercerent, morborum hiſtorias inter ſe invicem communicantes, quum varii morbi cutanei nomine tenus modo in Europa cogniti exiſtant: In Coloniis praeterea cuique liberum eſt, uti alias artes, ita & medicinam profiteri: hos inter medicaſtros primitivum poſſumus contemplari medicinae ſtatum, qui nempe, ſervi, omne genus herbas explorant & per Experimenta temere inſtituta vires corporum naturalium tam ſalutiferas quam noxias ediſcunt. Optandum igitur, ut Europaei horum hominum obſervationibus eruendis operam darent, quum

a caecis illis tentatoribus interdum remedia rebellibus morbis idonea inveniantur, quae, quum ſtudioſe celari ſoleant, cum inventoribus pereunt ſuis.

Magna ſupereſt Exanthematum chronicorum copia, eorum pleriſque obnoxii exiſtunt infantes, quibus Meconium opportuno non exturbatur tempore, qui Lac malae notae ingerendum accipiunt unde acrimonia ſurgit acida, qui victu male ſano uſi primas ſibi depravant vias, qui animi Pathematibus ſaepe exercentur, quorum tanta in Syſtema gaſtricum vis eſt: Omnium earum efflore ſcentiarum ſanabitur nulla abſque purgantium adiumento, quibus, ſi opus, ſolventia varii generis remedia interponere potueris quod & teſtatum dat Experientia, & ſuperius adlegata probant.

Qui plura circa haec mala noſſe cupit, adeat, velim Viros claros, qui variis ex Auctoribus carpſere, CELSUM (*a*), TURNER, LORRY, PLENK.

Ego autem pedem heic figens vela contraho, & quae nunc addenda eſſent, forte maturius olim iudicium aetaſque perficient.

(*a*) De Med. Lib. VI. ſub initium & fine Lib. V.

IOANNIS PETRI WEIDMANN

Philoſophiae & Med. Doctoris, Chirurgiae, & Artis Obſtetriciae Profeſſ. Publ., & Ord. Eminentiſſimi ac Celſiſſimi Archiepiſc. Principis Electoris Mogunt. &c. Iudicii Aulici Conſiliarii, & Facultatis Medicae Aſſeſſ. Ordinarii.

DE

NECROSI OSSIUM ADNOTATIO

MOGUNTIAE 1784.

QUibus partes corporis noſtri iniuriis, noxiſ-que patent, fit, ut vis illa vitae, qua vivae ſuſtinentur, quandoque in aliqua parte non labefactetur ſolum, ſed & penitus extinguatur, quin tamen inde mors ultima eveniat. Vocarunt hunc morbum vel Gangraenam, vel Sphacelum, vel Necroſin.

De ambigua & difficili, qua apud Medicinae Scriptores haec vocabula accipiuntur, ſignificatione multa, quae dici poſſent, deberentque, omitto, qui longas diſceptationes non amo, rebuſque mallem, quam verbis immorari. Igitur GA-

LENUM (*a*), ſecutus Gangraenas adpello partium *mortificationes non quidem factas, ſed quae ſunt*. Mortem vero partis modo factam, ſphacelum: hanc vero ſi lente & ſenſim fiat, cum SAUVAGESIO *Nectroſin* (*b*).

Tales vero partium mortificationes, & mortes, non ſolum carnes, ſed & ipſa oſſa ſaepius infeſtant; Vocantur tum oſſium necroſes, & recte quidem, cum ob partium oſſa conſtituentium firmiorem inter ſe nexum, corruptio, corruptique a ſano receſſus multo lentius ac in carnibus fiat; quod quidem ab HIPPOCRATE iam pridem adnotatum fuit (*c*).

Scire autem licet, morbo noſtro vix unquam corripi infantes, raro pueros, mediam aetatem vero magis eidem obnoxiam eſſe, magiſque ſenectutem; minus opulentos, magis duris laboribus exercitatos, magiſque ſexum potiorem ſequiori.

Ab eodem immunia fere nulla oſſa ſunt; contingit aeque in oſſibus longis, latis, & brevibus, in magnis, parvis, & minimis, ut adeo

(*a*) Methodo medendi ad GLAUCONEM Libr. II. cap. 11.

(*b*) Noſologia methodica Tom. II. pag. 263.

(*c*) In Libro de articulis, edit. Van Linden Tom. II. pag. 834. Carnibus etiam his citó moriuntur, oſſa vero tarde aboredunt.

oſſicula auditus illa deſtructa fuiſſe cognitum ſit; raro vero accidit in oſſibus, quibus ſubſtantia omnis fere ſpongioſa eſt: veluti oſſibus carpi, tarſi, corporibus vertebrarum; horum enim ſubſtantia ſucco & vaſis nutrientibus dives eſt, indeque vi vitae maiore gaudet; frequentius obtinet in oſſibus latis, qualia ſunt calvariae in frontali nempe, parietalibus, occipitali temporalibus; imo oſſis ethmoidis tenues laminae ab eo non omnino liberantur; ſic vidimus cum iis oſſa palati, oſſis maxillaris partem palatinam, & vomerem, & turbinata perdita fuiſſe; eidem vero quam maxime patet maxilla inferior, ut mihi ipſimet contigerit plures hoc morbo inſigniter affectos a caro Magiſtro meo SIEBOLD videre percurari; extatque iamnum inter oſſa ob Eodem collecta maxilla talis, a morbo hoc adeo mutata, ut vix maxillam diceres. De eo etiam, quatenus ſolam inferiorem maxillam deſtruit, plura habet BAIER (*a*), BONET (*b*), & LOVIS (*c*). Inter haec vero oſſa longa eadem plurimum infeſtantur: femora nempe, humeri,

(*a*) Ephemerid. Acad. nat. curioſ. anni 7. 8. obſ. IV.
(*b*) Medicina ſeptentrionalis. Libr. II. ſut. IV. cap. XXV.
(*c*) Memoires de l' Academie Royale de Chirurgie Tom. V. edit. in 4. pag. 355.

tibiae, fibulae, cubiti, radii, claviculae, coſtae, oſſa metacarpi, metatarſi, phalanges digitorum manus, pediſque, imo & ipſum os hyodes illa correptum fuiſſe vidi.

Oportet autem quam maxime quod communiter quidem non fit, oſſium necroſin probe diſtingui a carie, & ſpina ventoſa, quam alii paedarthrocacen vocant; Caries vero a necroſi in oſſibus diſtinguitur, uti in carnibus ulcus a grangraena ſive ſphacelo. Per haec carnoſae, per necroſin vero oſſium integrae partes vitali influxu omni orbantur; & abſcedunt; ulcere partes carnoſae, carie vero oſſa eroduntur; in his igitur nihil eſt niſi partium corroſio, in illis vero mors. Qui ſpinam ventoſam vel paedarthrocacem cum necroſi confundere nolunt, obſervent hanc cariei tantum ſpeciem eſſe, in qua oſſis tumor quidem cum interna eroſione adeſt, nulla vero totius cuiuſdam partis vel corruptio vel ſeparatio,

Neque in eo ſolum morbi noſtri diſcrimen eſt, quod diverſis oſſibus poſſit ineſſe; ſed etiam iam externus, iam internus & in longis aeque ac latis eſſe poteſt, prout vel externas tabulas lamellaſque occupat, vel internam ſubſtantiam internaſque tabulas, quandoque utraque & tabula & ſubſtantia emoritur; quandoque emortua utraque tabula externa eſt, interna minus; ipſe-

met ego os frontis quoddam aſſeruo ; in quo pars talis mortua (gallis bene *ſequeſtre* dicta) exterius latior eſt interiori ; quod & ſecus eve- nire poſſe notandum eſt . Nonnunquam totum os aliquod corrumpitur & eiicitur , uti obſervavit D. POTT (*a*) , nonnunquam plura , quae ſibi affinia connectuntur ; ſic totam fere calvariam necroſi affectam , & per naturae vires ſeparatam vidit SAVIARD (*b*) . Aliquando parva & tenuis oſſis pars deſquammatur , aliquando os longum omnino detruncatur , veluti fit , ſi membri ſphacelo extincti ſeparatio naturae relinquitur , & a GUILHELMO FABRICIO HILDANO adnotatum (*c*) , & ab optimo meo SIEBOLDO & a me ipſo viſum, obſervatumque fuit; quandoque , quod emoritur , ſpongioſae , quod tamen rarius fit , ſubſtantiae eſt , quandoque , quod magis obvium vitreae ; neque omnino rarum eſt totas , vel fere totas , vel medias oſſium longorum dia-

(*a*) The Chirurgical Works of PERCIVALL POTT. ſurgeon to St. Bartholmew's , Hoſpital. London. 1779 pag. 115. I. have ſeen , in one caſe nearly the hole leſt frondale caſt off. and in another , the hole left parietal bone .

(*b*) Noveau recueil d' obſervations Chirurgicales . Pario 1702. obſervatione XC. pag. 386.

(*c*) Opera obſervationum & curationum Medico Chirurgicarum , quae extant omnia Francofurti 1682. pag. 370.

phyſes mortuas ſeparari; viderunt in tibiis fibuliſque ALBUCASIS (*a*), TACCONI (*b*), W. HUNTER. (*c*), LAING (*d*), IOHNSONE (*e*), ELLINKHUIS (*f*), DAVID (*g*), RUISCH (*) in femoribus MACKENZIE (*h*), WRIGT. (*i*); SCULTETUS (*k*), DAVID (*l*), in Radiis ulniſque RUISCH (*m*), ACREL (*n*), in humeris a

---

(*a*) ALBUCASIS Chirurgicorum omnium primarii Lib. tres Argentorati 1532. pag. 241.

(*b*) CAIETANI TACCONI Phil. & Med. D. de nonnullis Cranii oſſiumque fracturis &c. Bononiae 1751. pag. 12.

(*c*) Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London Vol. II. pag. 303.

(*d*) Medical eſſays and obſervations published by a Society in Edinburgh. Vol. I. Art. XXIII.

(*e*) Ibidem Vol. V. Art. XLI.

(*f*) CORNELII TRIOEN M. D. obſerv. Medic. Chirurg. Faſciculus Lugd. B. 1743. pag. 115.

(*g*) Obſervationes ſur une maladie connue ſous le nom. de Necroſe par. Mr. DAVID Profeſſeur & demonſtrateur Roi. de Chirurgie Paris 1782.

(*) Opera omnia Anatomico-Medico-Chirurgica Amſtelodami 1721. Tom. I. pag. 94. Catalogi.

(*h*) Medical obſervations and inquiries: A London pag. 303.

(*i*) The Philoſophical tranſactions abridged and diſpoſed under general heads by IOHN MARTIN Vol. IX. pag. 252.

(*k*) Armamentarium Chirurgicum edit. in 8. Amſtelodami 1741. pag. 146.

(*l*) Loc. cit. (*c*) Loc. cit.

(*m*) Loco citato in theſauro Anatomico decimo Tab. 2.

(*n*) Chirurgiſche Geſchichte im königlichen Lazarethe zu Stockholm überſetzt von Z. V. p. 263.

MECKEREN (*a*), DUHAMEL (*b*), DAVID (*c*), TACCONI (*) in Clavicula MOREAU. Neque omitti debet differentia, quae eſt, ſi os emoritur, vel emortuum modo eſt; ſi vel ſeparatur vel ſeparatum modo eſt; ſi de reliquo homo ſanus eſt vel non.

Necroſin igitur oſſibus inducit, quidquid illorum nutritionem impedit. Haec autem nutritio cum non ſolum dependeat a perioſtei, ſed & membranae, dictae medullaris, oſſiſque ipſius innumeris vaſis a BERNARDO SIEGFRIDO ALBINO (*d*), nitide depicto; ſcire licet, omnia, quae haec Vaſa deſtruunt, necroſin cauſſare; talia autem alias foris accidunt, alias intus eveniunt. Quae foris accidunt, ſunt: contuſiones, verbera, ictus, vulnera, fracturae, terebrationes, combuſtiones, aduſtiones, gelu, acria, quibus magna carnium (*e*), & perioſtei pars, vel

---

(*a*) Obſervat. Medico Chirurg. Cap. LXIX.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Memories de l'Académie Royale de Chirurg.e Tom. V. pag. 361.
(*) Loc. cit.
(*d*) Academicarum annotationum Lib. IV. Tab. VI. & Icon. oſſ. foetus hum. Tab. XVI.
(*e*) HIPPOCRATES Lib. de fracturis cap. XXXVI. dicit: hoc autem certo ſcire expedit, quod oſſa, quae carnibus perfecte privantur ac exareſcunt, omnia penitus deſcendent.

deſtruitur, vel ab oſſe avellitur, vel ipſi oſſis ſubſtantiae inſuperabilis labes, vel magna inflammatio inducitur. Haec autem quatenus in externam ſolum oſſis ſuperficiem agunt, necroſin externam producunt, iiſdem vero cauſſis ſi interna oſſis fabrica deſtruitur, necroſis interna futura eſt; id quod experimentis in animalibus vivis captis edocuit D. TROIA (*a*), etenim per artem in tibia columbae necroſin produxit, deſtruendo ſpecilli ope medullarem ſubſtantiam; ſeptimo die in columba hac interſecta tibia tota ſeparata inventa fuit, & novo oſſe circumdata: Experimenta D. TROIA a D. DESAULT Chirurgiae Profeſſore Pariſienſi, & in noſodochio, CHARITE', dicto Chirurgo primario, me praeſente, poſt etiam a D. BLUMENBACH (*b*), Medicinae Profeſſore Gottingenſe repetita, eventus ſimiles docuerunt. Quae vero cauſſae necroſeos intus gignuntur, ſunt: a Variolis, morbillis, ſcorbuto, rheumatiſmo, arthritide, ſcrophulis, Syphillide, a metaſtaſi, a Pſora & tranſpirationum retropulſione, omittendum vero praeprimis non eſt, necroſin ſaepius gigni topicis illis, quibus

---

(*a*) De novorum oſſium regeneratione Lutetiae Pariſiorum 1775. Vid. Experimenta ſectionis primae.
(*b*) A. G. RICHTER Chirurgiſche Bibliothek des ſechſten Bandes 1. Stuck pag. 107.

plurimi adhuc Chirurgorum oſſium caries curant, adplicatione nempe tincturae ſpirituoſae, Euphorbii, cauſticorum &c.

Cognita porro cauſſarum differentia, facilis & prona ut plurimum eſt necroſeos cognitio. Etenim ſi os a ſuo perioſteo nudatum & aridum fuiſſe compertum fuerit, ſive id vi externa, ſive inflammatione circa ipſum os facta contigerit; ſi naturalis color oſſis mutatus eſt; ſi, quae circum os nudatum reperiuntur, ulcera mali moris ſint, neque ſanentur ſed fiſtuloſa fiant, carne luxuriante cingantur, & pus foetidum, & tenue & multum, vel ichorem fundant, neque oſſi nudato brevi nova caro ſuccreſcat, necroſin adeſſe indubium eſt. Cognoſcitur vero, necroſin totam, uti id ſaepius accidere modo dictum eſt, vel fere totam Diaphyſin, invadere, ſi aeger ſumma inflammatione, intra ipſum os, oborta, diriſſimo dolore diu noctuque torquetur, ſi febre vehementiſſima uratur, ſi tumor tenſus totum undequaque membrum occupat, ſi Dolore motus membri omnis inhibetur; alte vero in os non deſcendit, ſi neque tumor totum membrum diſtendit, neque febris & dolor valde urgent, aſt os abſceſſiſſe, & a vicinis partibus modo ſeparatum eſſe ſcimus, ſi febris, dolor, tumor ſubſident & ſedentur; ſi puris plus iam ſecernitur; aucta etenim eſt ſuperficies, e qua pus colligi-

tur, quod ſi longum tempus inter ſeparationem & eductionem oſſis interceſſerit; Aedemate membrum inflatur; eoque magis, ſi vires aegri aptis remediis non muniuntur, neque cauta ars oedematis augmentum praecaverit an vero ſquamma ſoluta, & ubi haereat? expedite cognoſcitur, ſi monente CELSO (*a*), *specillum tenuem in foramina demittitur, quod magis minusve intrando, vel in summo cariem eſſe, vel altius deſcendiſſe teſtatur*.

Neque ſemper necroſi oſſis facta, vel metus terret nos, vel ſpes conſolatur; ſiquidem facilis cura eſt, donec mors oſſis neque alte in ipſum os deſcenderit, neque ſe valde extendat, donec contigerit in homine iuvene vel ſaltem non ſene, donec ſuperficiem oſſis externam tenuerit, ſubſtantiamque compactam, mediaſque diaphyſes; donec ab iniurie externa acciderit. Periculum vero portendit, ſi a labe interna ortum duxerit, quae percurata necdum eſt, neque facile & brevi percurari poteſt. Si partes oſſium internae, ſpongioſae ſcilicet vel reticulata ſubſtantia, vel Epiphyſes adficiantur, ſi pars mortua in intimo oſſe vel noviter regenerato abſcondatur; ſi tota fuerit diaphyſis, neque herculea ars ſupervenerit,

(*a*) Libr. VIII. Cap. II.

peſſimum eſt, ſi partes ſeparatae locum tenent; in quo vitale quoddam viſcus offendant, neque arte educi poſſint.

Curam necroſeos partim natura, ars partim abſolvit. In hoc vero attendendum praecipue eſt, ut neque boni & faciles naturae conatus intempeſtiva & ſupervacua arte turbentur, neque, dum natura in devia vel deflutit, vel impoſſibilia molitur, ars audax non omittatur; ante omnia autem intelligere oportet, quid natura praeſtet, antequam, quid arte faciendum. Natura autem (ſicubi in oſſis quadam parte vis vitae omnis extincta eſt, eius ſeparationem, quouſque extincta eſt), perficere confeſtim laborat: intumeſcit primo os & perioſtium, quatenus vita in illo ſuperſtes; ſenſim & lente obſervatur exiguus ſulcus, ac ſi eroderetur, circum partem mortuam fieri ſulcus hic ſenſim latior fit, & profundior quo latior, ut manifeſte videas auferri aliquid de oſſe, quod parti nempe vivae mortuoque interponitur, aeque uti hoc fit in ſeparatione partis cuiuſdam mollis; videtur ex eo, quod in necroſeos circumferentia ſulcus ille erodatur, ſicque de ſubſtantia oſſis aliquantum deperdatur eodem modo ubique quouſque pars mortua cum viva cohaeret, oſſis ſeparationem fieri, non arietatione & impulſu arteriarum, uti VAN

SWIETEN (*a*) docuit ; ſed reſorptione particularum adfinium partem mortuam inter & vivam, per reſorbentium vaſorum ſyſtema . Tali fere modo obiiciuntur oſſium morte adfectorum vel laminae , vel mediae diaphyſes vel & integrae diaphyſium fiſtulae . Hos conatus natura alias per longum tempus proſequitur , antequam corruptum a vivo deceſſerit prout eſt vel magna vel parva oſſis pars , quae abiici debet ; prout aeger eſt vel aetate maior , vel adprime caeteroquin valens , vel non , prout porro os diverſum adficiatur ; *femoris* enim *os* (HIPPOCRATES adnotat (*b*) , *tali modo denudatum* , *octogeſimo die abscedere vidi.* alibi) *at tibiae oſſa ex eiusmodi denigratione circa mediam tibiam sexageſimo die* , *mihi ceciderunt* & alibi (*c*) , *totus tamen circulus ſi in quadraginta diebus diſceſſerit* , *bene discedet* , *quaedam etiam ad sexaginta dies perveniunt* , *nam & rariora oſſa citius discedunt* , *& solidiora vero tardius* . His nunc rite perpenſis quaeſtio eſt ; an os necroſi corruptum , ut citius decidat , terebris , ut BELLOSTE ſuaſit , ſaepius perfodi , an ſcalpris radi , an ferris praecidi ,

(*a*) In commentariis ad BOERHAVII aph. 252. & ſeqq.
(*b*) De artualis Cap. LXXXI.
(*c*) Ibidem .

Digitized by Google

an ferramentis ignitis aduri debeat ? Haec ut certa in oſſium morbi praeſidia ab antiquioribus extollebantur, habet enim ALBUCASIS (*a*), *ſi detegitur tibi os, & eſt in eo quiddam corruptionis & nigredinis, tunc rade ipsum*. ANGELUS BOLOGNINI (*b*): *ſi vero corruptio profunda fuerit, abscinditur ipsum os corruptum, fricando, scalpendo, & subsequenter cum cauterio actuali cauterizando, — curetur ipsum os malleo vel scalpello — concavando & removendo*. Ipſeque CELSUS (*c*): oportet id quod pingue *eſt, adurere, — aut radere — ſi caries alte descendit, per terebram urgenda crebris foraminibus eſt*. His veterum conſiliis nimium hucuſque induſiſſe medicos noſtri aevi, ego quidem puto, neque ultro indulgendum eſſe; quod per multas obſervationes conſtet, tuto & ſolius naturae viribus, magnas non tantum oſſium laminas ſed totos e diaphyſibus cilindros, totaque oſſa, uti id iam ſupra modo dictum eſt, ſeparata & deiecta fuiſſe; accepi nuper a ſutore totam fere tibiae

(*a*) Loco iam citato Cap. XXXVI.
(*b*) De Chirurgia Scriptores optimi quique veteres & recentiores &c., edente ANDR. GESNERO Tiguri 1555. pag. 216.
(*c*) Loc. cit.

biae ſuae dextrae diaphyſen, quam ſibimet poſt longas calamitates extraxerat, quin vel raſerit vel terebraverit, vel aduſſerit, vel alio modo oſſis ſeparationem promovere tentaverit; haec cum multoties ut in exemplis ſupra citatis patet, acciderint, inducor ut credam: oſſis corrupti, ſeparationem, tutius naturae viribus, concedi, quam eandem vel ſcalpris, vel terebris, vel ſerris, vel igne, vel acribus quibuſdam impoſitis moliri, non ſecus ac membrum ſphacelo corruptum, tutius ſemper naturae viribus abſolvendum relinquitur, namque ſi in parte mortua amputatio fit, aethiopem lavas, ſi in viva, perculum ſummum inducis, *Curatio* dicit HIPPOCRATES loc. citat. Art. LXXXI. *lenis omnibus talibus ſufficit; ipſa enim ſeipſa iudicant* & paulo poſt, *ſi is cui reſectio* (partis mortuae) *ſit, dolore adſectus fuerit, & corpus nondum mortuum fuerit, ea parte qua reſecatur, magnum periculum eſt, ne prae dolore animi deliquium incidat; talia vero animi deliquia multos iam e veſtigio perimerunt* & uti ſupervacua eſt partis carnoſae cuiuſdam gangraena extinctae ſcarificatio, hae namque ſi in vivas uſque partes penetrant, laedunt, novumque inflammationis metum reddunt, ſi non iuvare ſane non poſſunt, inutile ſunt ergo artis conatus; mortui a vivo ſeparationem contendentes.

Facta oſſis corrupti ſeparatione, eiuſdem, ut cura perficiatur, ablatio reſtat, in hoc vero, uti natura nihil praeſtat, ita ſemper in arte praeſidium eſt. Igitur ſi oſſis portio a vivis ſeiuncta intra carnes haeret, Volſella extrahatur, neceſſe eſt, ut ulcera inde orta perſanentur; accidit vero nonnunquam illam intra multas carnes profunde obſconditam eſſe, ſicque, ut corpus quodvis extraneum, anguſtas fiſtulas fovere; tum autem hae fiſtulae cultello audacter aperiendae & dilatandae ſunt, ut inde eius eductio facilis fiat. Si vero per incautam naturam portio mortua oſſe regenerato ut vagina obducta fuerit, & incarceretur, uti id fieri per obſervationes ALBUCASIS, TACCONI, SCULTELI, DAVIDI, aliorumque quos ſupra adpellavi, & per experimenta D. TROIA conſtat, ſive id totus cilinder, ſive eius tantum portio fuerit, protinus ſubſecanda eſt omnis, quae os novum tegit, caro; illudque aperiendum eſt terebris, ſcalpriſque malleo adigendis, auferendum omne, quod corrupti facilem eductionem impedit; ſic tuto ſatis evitatur aegri mors, imo & membri, quae in tali caſu apud medicos hucuſque ſolennis fuit, amputatio. Talium curationum exempla quidem apud ALBUCASIN, SCULTELUM, DAVID, paucoſque alios proſtant, quibus vero, cum hodierni ea ſatis necdum imitentur, membrique ſic adfecti ampu-

tationem praeferant, hiſtoriam talis curationis, quae mihi ipſimet obtulit ſe, adpono.

Ioannes Petrus Engels ex pago Geislar prope Bonnam, annorum triginta quatuor, procerae ſtaturae ruſticus, bene valens, & ſuae ſpontis, vexatus tamen ſaepius ulceribus utrumque ſubinde crus infeſtantibus, facili tamen opera ſemper ſanatis, anno 1782. die decima ſexta Novembris, laboribus ruri occupatus corripitur ſubito dolore in femoris primo inferiore extremo, brevi autem poſt in toto crure lateris ſiniſtri. Dolor hic adeo ingraveſcit, adeoque tandem atrox evenit, ut lecto omnino adigatur; accenditur ſimul vehementiſſima febris, crus totum intumeſcit, tumor hic quam maxime tenſus eſt, & ad minimum attactum dolentiſſimus. Haec ſymptomata per plures ſeptimanas urgere non deſinunt: tandem ulcera circa tibiae ſuperiorem partem aperiuntur, ex iis puris multum continuo effluit, febris, dolor, tumor minus quidem iam moleſta ſunt, recurrunt vero per vices & exacerbantur, neque ceſſat cruris ſumma ſenſilitas motum omnem partis adfectae inhibere; interim aegri vires extenuantur, exhauriuntur humores, adeo, ut conclamatae viderentur aegri res; hoc tempore ut ſubvenirem a Comite de B.... inducor. Trigeſima Ianuarii anno 1783. primo aegrum inviſo; qui adſtanti-

bus mihique animam brevi redditurus videtur; vires namque omnino reſolutae erant, corpus emaciatum, ut & perfracta omnis ſenſuum vis, collapſa tempora, oculi concavi illacrymantes, palpebrae ſemicommiſſae, immobiles, frons ſudore frigido madet, pulſus exilis innumerabilis, verbo in procinctu mors videbatur. Adfectum crus detectum horrore me ob tumoris magnitudinem percellit, ille vero tumor tenſus & inflammatus non eſt amplius ſed lymphaticus impreſſionem digit relinquens. Per ulcera ſpecillum adactum in os corruptum impingit, videorque mihi ſentire os quoddam ſeparatum & mobile. Liquet ex his anguſtam fuiſſe aegri rem; aliquid tamen ſpei adſulget aegrum ex ipſis orci faucibus revocandi, ex eo quod forte eductio corrupti, oſſis, ſi quod ut mihi poſſibile videbatur, ſeparatum fors eſſet, facilis eſſe poſſet. Operationis quid illico tamen non inſtituo, ne, ſi moriretur, occidiſſe eum viderer; praedico igitur Comiti de B. . . .契 Supereſſe mihi aliquam adhuc ſpem, aegrum ſervandi, illam vero maxime eſſe ancipitem, praeſtare tamen ancipitem certa deſperatione. Suaſit ille, ut quae ad ſpem conferre aliquid poſſent a me perficerentur. Igitur confeſtim ulcerum cava cultelo dilatans, offendo ſtatim in aperturam quandam os tibiae paulo ſupra mediam eius partem anterius in intimum

oſſis penetrantem; apertura haec digiti apicem fere admiſit, ſentio latens quoddam corrupti oſſis fruſtulum; pergo dilatare ulcerum cava, corruptas carnes ſimul partim ungue indicis, partim cultello ſeiungere, donec ſumma anterior & paulo exterior tibiae pars omnino pateret; video iam aperturam aliam in oſſis cavum medullare itidem penetrantem, per quam etiam in os corruptum incido, quae quidem ab illa, quam inferius eſſe dixi, ultra pollicem & medium diſtabat. Nunc cum latens in interiore cavo corrupta oſſis pars ſic educi nullo poſſet modo: terebram, anglis *Trephine*, ſupra aperturam inferiorem oſſis fruſtum exſcindo; neque tamen inde mihi iam facultas datur, corruptum os educendi, quod cum vi aliqua educere allaboro, frangitur; etenim vix non omnino ſpongioſum & fragile erat; cogor ergo partim ſerrula, partim ſcalpris mallos adactis, reliquam oſſis partem ab inferiore apertura uſque ad ſuperiorem multo labore auferre. Quae ita deſtruitur oſſis ſubſtantia, non, uti hic ſolet, dura & compacta eſt, ſed mollis, & vaſis ſat magnis ſcatens, quae & inter operationem multum cruoris eructant, & operationis finem retardant, Aeger in animi fere deliquio dolorem non ſentit, & analepticis interea ſemper refocillatur; tandem tamen operationis inſtitutae, finem attingo, dum os corru-

ptum omnino educendi facultas datur. Iam tota fere ſuperior & anterior pars hiat, cavumque patet, tres fere pollices longum, & pollice latius, & adhuc ſurſum verſus genu, ex quo etiam maxime angebar, adſcendens. Cavum illud linteis carptis ſiccis impletur, ne ſanguis, qui ſatis abunde inter operationem effluxerat, ulterius effluat; tota extremitas faſciis laneis arcte colligatur; interne extractum corticis peruviani & analeptica alia exhibentur. Videntur interim in peius ruere aegri res, adeo ut altero ab operatione die ob deſperationem aegrum deligare inutile ducerem; aſt tertio ac Operatione die aeger melius habens in cubite intrantem vultu non inſereno reſpicit me, cum antea motus oculorum omnis automaticus praeditus fuerat; ex hoc in novam erigor ſpem, & deligo; inter deligationem multae adhuc oſſis corruptae particulae educuntur, omnem vero ſanguinis effuſionem anxius declino, cavumque oſſis ut antea carptis molliter impleo & leni emplaſtro tego, & faſciam arctius ac heri toti cruri induco, intra octiduum video aegrum in dies magis reſtitui, immanis antea cruris Leucophlegmatia decreſcit. Cum ſpe indies aucta novae vires ſuccreſcunt. Interim iuſſu Eminentiſſimi noſtri Principis Electoris BONNA avocor aegrumque curae amici mei & optimi Medici D. CREVELT committo,

ſuaſor, ut aeger, uti hucuſque ſoluit, molliſſime deligetur ſemper, & vires ſuſtineantur, quod & bene cedit. Gaviſus ſum hucuſque me patriae meae bonum civem, uxori maritum, & tribus liberis carum parentem, quantam praemium! reddidiſſe. Interim medicaſter, qui in optimos BONNENSIUM accolas arte ſua deſtructrice debachatur, cuius nomine chartam non conſpurcem obtruditur, qui medicamenta roborantia, regimenque, quae ſuaſeram reiicit, & auri decantatam ſuam tincturam porrigit, & alia contraria ſuadet; verum natura victrix contrarium artem eluſit, aegerque, ut ab amico meo D. CREVELT accepi, ſuperſtis eſt, & bene ſatis valet, etſi ulcus criabrice nondum omnino obductum ſit. Felix igitur populus, cuius Princeps, ut bonas artes utileſque ſcientius tuetur & alit, ita lege cavet, ne boni cives agyrtarum artificiis deciprantur.

DISSERTATIO INAUGURALIS

Qua morbi Inteſtini Recti pertractantur

PRAESIDE

CAROLO GASPARO SIEBOLD

Publice examine ſubiicit

IOANNES GEORGIUS SCHERER

WIRCEBURGENSIS

Wirceburg. 1772.

CAPUT I.

SISTENS

ANATOMICA INTESTINI RECTI DESCRIPTIONEM.

§. I.

ANatomico ordine hoc inteſtinum conſideratum, eſt tertium ex tribus craſſioribus, inferius & ultimum omnium. Ab ultima vertebra lumbari & a ſuperiori parte oſſis ſacri ad oſſis coccygis extremitatem uſque & ultra, primo deorſum, dein autem antrorſum inclinatum abſque omni

circumvolutione deſcendit. Recti nomen non ex ea ſortitum eſt ratione, quod perfecte, recte & perpendiculariter, ſed quod ſaltem aliis inteſtinis rectius procedat, inteſtinum hoc rectum ab Anatomicis iam pridem nuncupatur.

§. II.

Anterius externa tunica, quae peritonaeum eſt, tegitur, poſterius autem interiori concavae aut anteriori oſſis ſacri faciei membrana adipoſa & oſſis coccygis curvatae extremitati fibris tum muſculoſis, tum ligamentoſis adfigitur. Vera coli continuatio eſt, & a latere ſiniſtro ad dextrum oblique parum & nonnihil retrorſum incurvatur.

§. III.

Quamvis natura hactenus non legem ſed conſuetudinem potius ſecuta fuerit, nunquam ſatis demirandam, ut illud communiter & vix non perpetuo a latere ſiniſtro ad dextrum parumper oblique in pelvim deſcendat, varia tamen omnimoda omnium viſcerum in thorace & abdomine ſitorum inverſionis proſtans exempla (*a*), ubi ul-

---

(*a*) *Quale* Cl. PRAESES *anno 1766. litterato orbi communicavit*. *Vid. Gazette Salutaire No. XL.*

tima coli curvata extremitas a latere dextro ad ſiniſtrum ordine quidem non tamen & munere turbato procedens intrare pelvim a me tunc Chirurgiae & Medicinae tyrone videbatur.

§. IV.

Tunica externa huius inteſtini aeque ac coli appendicibus condecoratur adipoſis. Poſt hanc ut & membranam adipoſam (a), fibrae muſculares longitudinales, ex tribus ligamentis e caeco & colo proficiſcentibus, expanſis & diſiectis, ortae tunicam muſcularem efficiunt, totumque inteſtinum hoc muſculoſae inſtar vaginae inveſtiunt ac amplexantur.

§. V.

Praeter has fibras muſculares longitudinales etiam, ut in aliis inteſtinis videre eſt tranſverſales fibras, tunicam quoque muſcularem conſtituentes & prioribus ſubiacentes. Sunt autem tum primae tum ultimae multo quam in aliis inteſtinis craſſiores & validiores, adeo in fine ubi anum efficiunt, craſſiſſimae & robuſtiſſimae deprehenduntur.

(a) *Quam alii duplicaturam peritonaei male vocant.*

§. VI.

Ordo nos ducit ad villoſam, quae porcſiſſima, reticulatis, pollygonis teneris rugis aſpera eſt tunica, peculiares quoſdam numerat ſinus (*a*); & illa pars, quae cuti & oſtio inferiori proxima, circulum album firmumque valvularem efficit, inque eundem plicae longitudinales curvulae tamen & ad ſe invicem in ipſo circulo accedentes deſcendunt, quas MORGAGNUS (*b*) ani columnas vocat, eaſque valvulis cordis ſemilunaribus haud abſimiles etiam nullas omnino adeſſe interdum contingere affirmat.

§. VII.

MORGAGNUS ſupra memoratus nunquam ſatis laudandus in cavo huius inteſtini vel duobus digitis ſupra extremam ani partem ſimilem columnam valvularem bis, ſemel in plebeio quodam & quidem membranaceam figura annularem, ſemel in fure & quidem carneam dimidium annulum repraeſentantem obſervavit (*c*).

(*a*) *Vide* ALBERTO V. HALLER *primas lineas Phiſiologiae pag.* 286.
(*b*) *Vide adverſar Anatom. part.* 3. *pag.* 10.
(*c*) *Vide adverſar. Anatom. loco cit.*

§. VIII.

In adultis palmae unius & dimidiae imo ſaepe duarum adaequat longitudinem, & ad trium digitorum circiter ſe expandit latitudinem, hic autem diameter ſi flatibus aut foecibus ſit detentum inteſtinum, augetur, iterumque his exploſis minuitur, & inteſtinum irregulariter fit cilindricum, pro vario hinc ſtatu adimpletionis & evacuationis excretorum mutatur etiam diameter.

§. IX.

De mutando inteſtini huius diametro ſi cui forte dubium oriatur, credet facile, ſi conſulat hiſtorias, ubi illud ad veſicae, atque adeo ad ventriculi amplitudinem auctum & extenſum fuiſſe obſervarunt Anatomici (*a*) ſic in viro quinquagenario foliis pictis unice deſudante tandem tympani tide defuncto inteſtinum coecum ad capitis humani molem flatibns extenſum reperiebatur (*b*).

(*a*) *Communicavit mihi Clariſſimus* PRAESES *ſe anno elapſo in cadavere puellae* 14. *annorum in hoſpitali Iulianaeo ex inteſtinorum inflammatione mortuae inteſtinum hoc ita extenſum reperiſſe, ut maximam cavi pelvis partem adimpleret.*

(*b*) *Vid. obſer.* 270. *in Hiſt. Anatom. Med.* D. IOSEPHI LIENTAUD *quam recenſuit & auxit* ANTONIUS PORTAL.

Cur fatum ſimile, rectum quoque inteſtinum nequeat experiri non videmus.

§. X.

Rugae, plicae, de quibus ſupra §. VI. dictum, non nunquam minus prominent, interdum apparent admodum conſpicuae, determinatum & certum minime obſervant numerum; plicarum ternarius aut quaternarius vix non ſemper eſt numerus, & iam plures licuit obſervare: ex minoribus hinc inde accedentibus ad illarum non raro numerum maius accedit incrementum. Quae porro rugae cum ex tunicae villoſae & carnearum fibrarum relaxatione oriantur, *hinc illas etiam extingui poſſe facile patet*, ſi ſtatum huius inteſtini extenſionis pauliſper fortioris & egregiae velimus conſiderare.

§. XI.

Inter dictas plicas adeo ſinus ſurſum cavi intercipiuntur, quae intima parte profundiores, & in quarum receſſu oſtia a magnis & numeroſis glandulis aut foliculis *mucoſis* quales in caeteris craſſis inteſtinis, ut in duodeno, dantur, aperiuntur; Illuſtris enim MORGAGNUS (*a*) in angulis di-

(*a*) *Vid. adverſ. anatom. part.* 3. *pag.* 11.

ctarum plicarum anguſta quaedam foramina deſcendere vidit, per quae tenue ſpecillum in breves exileſque ductus demiſit, quorum unus in veſiculam deſinebat a media anteriore parte ſphincterem inter & inteſtinum deliteſcentem; ex qua turbidum expreſſit humorem. Saepius tamen nihil ſimile quid in cadaveribus, quae expoſt ſecuit, invenit, & labore non aeque felici in id genus ductus, & multo magis veſciculas inquiſivit, iuvenem tamen ſi excipias, in quo ſimiles ductus & cellulam *in medio*, a parte poſteriore *locatam* experimento comperit ſecundo.

§. XII.

Cellulis talibus, quales in colo & caeco, ut & valvulis conniventibus (*a*) & plicis, quales in inteſtinis tenuioribus reperiuntur, inteſtinum rectum caret omnino: abundat autem glandulis, e quibus mucus ad ſuperficiem internam deponitur in tanta copia, ut lubrica ubique reperiatur.

§. XIII.

Membrana interna, quamvis villoſae gaudeat nomine, ſuum tamen, ut in reliquis inteſtinis

(*a*) *Vid. annot. academ.* B. S. ALBINI *Lib.* 3. *Cap.* 2. *Tab. V. Fig. I.*

meretur nomen, eoquod villos multo pauciores habeat ac minores, quam caetera inteſtina. Verſus extremitatem ſuam craſſa & permulta circumvolutum hoc inteſtinum eſt adipe, & in hoc ab aliis tam tenuioribus quam craſſioribus differt inteſtinis, quod muſculos ibidem habeat ad certos motus determinatos. Horum numerum, ordinem & uſum paucis nunc iuvat delineare.

§. XIV.

Inter tres, quos habet ſibi proprios muſculos, imus eſt ſphincter ani, *qui maximus eſt*, inteſtini recti extremitatem ad trium digitorum ſpatium involuit, adeo illam ad pollicis craſſitiem ſuperat, cutique anum ambienti nectitur. In parte inferiori & interna oſſis coccygis punctum habet fixum. In geminas dividitur portiones, quarum una recti extremum circumdat, & in viris cum acceleratoribus, in foeminis autem cum muſculo conſtrictore cunni nexis communicat. Fibrae huius muſculi cum fibris circularibus membranae carnoſae ſeſe commiſcent.

§. XV.

Plurimi Anatomicorum ex his duabus ſphincteris portionibus duos formant muſculos, vo-

cantque ſphincterem externum ſive cutaneum illam portionem, quae cuti anum ambienti nectitur, & internum ſive inteſtinalem illam, quae immediate rectum involuit & profundius. Imi figura ovalis audit, & extremo coccygis parte ſua ſuperiori intercedente appendice tum carnoſa, tum tendinoſa unitur, parte autem ſua inferiori ſimili mediante appendice in Perinaei regionis cute finitur.

§. XVI.

Duo reliqui muſculi ani ex officio, quo funguntur, elevatores ani vocantur; largo ſatis principio non tantum ex parte interna & ſuperiore oſſis pubis, ſed etiam ilaei parum ſupra locum, ubi iſchio coniungitur, adeo ex ſpina huius oſſis oriuntur. Fibrae eorum radiorum adinſtar ex circumferentia ad centrum, & partem poſteriorem recti verſus, quam ambiunt, ad ſe accedunt miſcenturque cum ſphincteris fibris, etiam in viris collum veſicae glandulam proſtatam & veſiculas ſeminales in foeminis vaginam, ut ſupra dictum, ambiunt. Accuratiorem & prolixiorem horum inteſtini recti muſculorum deſcriptionem ſiquis deſiderat, illi lecturam hiſtoriae muſculorum B. S. ALBINI prae omnibus commendamus aliis libris myologicis, ubi

non

non tantum proprii, ſed etiam communes & adiacentes mirabili ordine & ſtudio ſingulari deſcripti reperiuntur (*a*).

§. XVII.

Ex duobus vaſorum ſyſtematibus inteſtinum rectum vaſa obtinet ſua. Sic ramum arterioſum ex arteria meſeraica inferiori, & venoſum a ſimili vena ortum, alium arterioſum ex arteria hypogaſtrica interna, & venoſum a ſimili vena hypogaſtrica ortum, iniectionibus artificialibus legitime praeparatum hoc inteſtinum monſtrat communiter. Hinc differentia horum vaſorum haemorrhoidalium externarum & internarum nomine vulgo deſignantur (*b*).

§. XVIII.

De vaſculis lymphaticis vel lacteis in ſequenti Capite noſtram mentem aperiemus. Nunc

(*a*) *Vid. Hiſt. muſcul.* B. S. ALBINI *p. 326. 317. Reg. XVIII. Circum anum Cap. XCI.*

(*b*) WESLINGIUM *ex ipſo liene haemorrhoidales venas vidiſſe perhibetur; & praeter iam notata vaſa alia quaedam haemorrhoidalis externa ex ramo iliaco natium dicto muſculos ani ꝛ prreptat.*

brevis tantum de nervis ſermo eſto, quos hanc Anatomiae partem ſecantes inveniunt ſequentes: alii ſe inſerunt ſubſtantiae inteſtini, & hi ex plexu meſenterico inferiori, ut & hypogaſtrico, & ex duobus gangliis ſuis ab utroque latere proveniunt, inter ſe mutuo communicantes, ab his etiam glandula proſtata, veſica urinaria, veſiculae ſeminales, & in ſexu ſequiori uterus ſuos ſolent ramos participare.

§. XIX.

Anus autem & reliqui inteſtini recti muſculi tam proprii quam communes & adiacentes, nervi tum a gangliis plexus hypogaſtrici, tum a funiculo inferiori unius & alterius nervi ſympathetici magni ſive intercoſtalis, ut & ab arcu communi extremitatis amborum funiculorum nerveorum condonantur.

§. XX.

Subſternitur hoc inteſtinum primo adpoſitae, dein inſidenti veſicae in viris, ut & proſtatae glandulae & veſiculis ſeminalibus in mulieribus autem vaginae & cum omnibus his partibus, magis tamen cum iſta in ſexu ſequiori, quam cum ſupradictis in viris eſſe connexum autopſia comprobavit.

CAPUT II.

QUASDAM SISTENS DE USU INTESTINI RECTI PHYSIOLOGICAS MEDITATIONES.

§. I.

GRaphicam inteſtini recti deſcriptionem paucis, quantum materies concedit, cum dederimus ita, ut non auctorum in ſcientia anatomica verſatiſſimorum modo, ſed & ocularem in theatro huiate anatomico ſatis commendato inductionem & ductum ſcalpellorum fuerimus ſecuti, ordine nos procedere optimo, & viam credimus ingredi regiam, ſi delineatis huius inteſtini partibus, ſi nexu non omiſſo ad uſum quoque organicum duce Phyſiologia progrediamur. Ad regulas ergo inſtitutionum medicarum Phyſiologicas has damus meditationes. Situm huius inteſtini fere rectum & perpendicularem recipiendis & excernendis faecibus alvinis perfecte ſatis accommodatum omnis cognoſcet ille, qui aperto abdomine, cavitatem pelvis non curioſis ſolum, ſed etiam anatomicis oculis explorare velit, ſimulque hominem ſolum cum ſimiis prae aliis brutis recte incedere perpendat. Pondere enim ſuo praedictae

faeces cum motus periſtaltici caeterorum inteſtinorum, & muſculorum abdominalium ac diaphragmatis ope ad ultimam coli curvaturam pervenerint, facile deorſum tendunt, in hoc denique inteſtino ſibi conglutinatae coacervantur.

§. II.

Craſſiore & carnoſiore ſubſtantia muſculari, qua ab aliis inteſtinis diſcernitur, ipſi erat opus, quod ad exſiccatas ſaepius, compactas, & in magna copia conglomeratas, proprio ſuo pondere graves, ad longum ſubinde temporis intervallum, limites inter carneas continendas faeculentas materies prae reliquis illud a natura videmus ſubordinatum.

Hanc enim craſſiorem & carnoſam magis ſubſtantiam provida ubi non addidiſſet natura, prae nimia ſubin extenſione tunicarum in praeſentiſſimo fuiſſet periculo ne διαιρεσιν aut ρηξιν paſſum hoc inteſtinum faeces in cavum abdominis exoneraret. Ex quo tamen malo illos velim exceptos, qui de alvo ſemper laxiore conqueruntur, qui ex temperie aut ſpeciali idio ſyncraſia hoc vitium ſibi dolent familiare, vel ex morbis aut medicamentis ſibi accerſitum lamentantur, hos inquam, hoc diſruptionis periculo non equidem volo liberos, hac tamen huius paragraphi poena immunes.

§. III.

Inteſtini vero recti officium quoniam ſciunt anatomici, ut faeculenta in illo tum ex morbis, quorum conſtipatio ſymptoma eſt, tum etiam ſponte, ſive ex hominis voluntate, tempore etiam longiore detineantur (excretionem enim excrementorum nos tanquam actionem mixtam & non pure automaticam ſive naturalem iudicamus, & quidam illam cum reſpiratione comparamus) trium hinc pollicum latitudinem debuit adaequare, imo & ſuperare, eum quippe in finem, ut urgente non raro neceſſitate citra omne dilacerationis periculum in ſpatium vix credibile queat extenuari.

§ IV.

Tanta pinguedinis ſive adipis copia, qua verſus extremitatem ſuam, ubi anum efficit, cingitur circum, id praeſtat utilitatis, ut eo facilius in faecum excretione dilatari queat; ad quam utilitatem hanc quoque accedere neceſſitatem eruerunt alii, ut tanta ibidem adipis portio prohibeat, ne tempore egregiae dilatationis, quam tam in faecum eiectione, quam in laborioſa infantilis capitis, cum mulier parturiat, propulſione ad oſſa prematur immediate, ex preſ-

Digitized by Google

ſione nimia exponatur inflammationi. Tertium denique alii emolumentum adiecere, ut, quoniam multum adipis in cavum inteſtini recti credunt tranſudare, ad faeces negotio faciliore eliminandas lubricetur.

§. V.

Uti in integro tractu inteſtinali craſſiora alimenta, id eſt partes ingeſtorum nullis ſtomachi & inteſtinorum viribus ſubigendae, aut virtute humorum entericorum ſaponacea diſſolvendae, emunctis tandem particulis ſubtilioribus chymoſis chyloſiſque, & tandem faeces contractione tunicarum muſcularium praecipue tranſverſalium, quae motus inteſtinus ſive periſtalticus vocatur, ab uno ad alterum dicti canalis tractum propelluntur, ita ſimili inteſtini recti fibrarum muſcularium contractione, relaxato & aperto ano eiaculantur; & prudenter id factum eſt a natura, quod tunica muſcularis circa finem praeprimis craſſior ſi & carnoſior; vincenda enim ſunt & explodenda ſcybala craſſa, in quae faeces emunctis & abſorbtis particulis liquidioribus abierunt.

§. VI.

Appendices quaſdam adipoſas, quae in colo obſervantur numeroſae, huius quoque noſtri in-

teſtini ineſſe plurimis; quos vidi aperiri, cadaveribus adverti; quem vero in finem haec adeps incumbat, ſi forſan interrogent Anatomiae cultores, profeſtores eundem pro me dicent uſum, quem habet Eepiploon in caetera inteſtina, ut totidem velut pulvinaribus humido ſemper calore hoc inteſtinum quoque ſoveatur. Spirant enim oleum tenue, quo inungitur, lubricum & flexile ſervatur, itaque impeditur, ne peritonaeo, veſicae, aut vicinis partibus accreſcat; aliqui has appendices, eoquod nil niſi plicae ſint peritonaei, maiori huius inteſtini dilatationi inſervire contendunt; & manibus pedibuſque in hanc me ire ſententiam quis indignabitur, cum in illo, quod nuper ſub elaboratione huius diſſertatiunculae omni, qua potui, circumſpectione examinavi, vix aliquas harum appendicum obſervare mihi liceret; loca tamen quaedam pinguia ſed plana, quae ob ſtatum extenſionis egregium, in quo id reperiebam inteſtinum, plicas illas nunc extinctas fuiſſe iudicavi.

§. VII.

Partes nulla vi domabiles omnis expertes chyli, cum eum recipiat in finem, ut faecum ſub titulo eas brevi foras eiiciat, ſtatus enim praeternaturalis eſt ſuo dives incommodo, ſiquis

perdiu ſarcinam hanc retineat moleſtam, id genus neque cellulis, quales in colo, nec valvulis aut plicis, quales in tenuioribus inteſtinis (a KERCKRINGIO *conniventes* dictae) reperiuntur, indigebat.

§. VIII.

Cum autem ut plurimum faeculentae materiae nil ſint, niſi alimentorum antea ingeſtorum, liquoris in inteſtina depoſiti, bilis & ſucci pancreatici particulae craſſiores, quae id, quod ſubtilioris principii, & fluidioris continebant, reſorptione venarum lactearum, tranſudatione & calore amiſerunt, hinc ad inteſtinum rectum delatae materia quadam mucoſa dilui debebant, ne acrimonia putrida, quam in illis etiam a ſaniſſimis excretis ſubolfacimus, internam inteſtini huius ſuperficiem irritarent, illamque laederent nec minus, ut earum facilitetur eiectio, & maiores & plures neceſſariae erant glandulae, ſinus & folliculi, ex quibus in hunc ſcopum ſufficiens muci dictam obliniendis ſuperficiem abundantia tranſcolaretur.

§. IX.

Valvulas membranaceas figura ſua annulares, quas MORGAGNUS Celeberrimus ſupra extre-

mam inteſtini recti partem, quae anus vocatur; binis deprehendit vicibus, & quas fortaſſe pluries, ſi in pluribus cadaveribus poſteriora exploraturi eſſemus, deprehenderentur, huic inſervire uſui, oculos videre anatomicos exiſtimamus, ut iis multum renitentibus excernenda aliquantum, ne contra voluntatis imperium, qua data porta, exeant, retineantur, aut ne in exitu remorentur, his vero valvulis hoc munire inteſtinum ſi forte natura conſtans in ſua inconſtantia fuit oblita, ſphincter ani fortior, quia carnoſior, qui interno anum claudit muſculo, ſuas mutuare ſupetias non intermittit.

§. X.

Ne in pelis cavo, in quo haeret liberum, vas unum laedatur aut alterum, ne nervus aut alia quaedam pars magis & minus comprimatur, ne per faeces aut flatus extra axin ſive lineam rectam, in qua excernenda facilius per anum eiiciuntur, deducatur, natura ſcivit neceſſum, ut oſſi ſacro & coccygi mediante peritonaeo & membrana apipoſa firmiter eſſet affixum.

§. XI.

Ex nexu admodum ſtricto huius inteſtini cum vagina in ſexu ſequiori facile explicatur diſ-

ficultas in partu orta; quando faeces exſiccatae; & in magna quantitate coacervatae, per moram in illo retentae tranſitum capitis infantilis pelvis diametrum coarctando, impediunt.

Neque difficilior inde patet coniectura, unde fiat, dum ſanguis tempore partus per venas huic inteſtino proprias in refluxu ſuo impediatur; & exinde tumores varicoſi, haemorrhoides dicti, ut & haemorrhagiae ex quarundam crepatura oriantur, eo potius quidem & certius, quo longius caput in vagina moratur incuneatum, & comprimatur inteſtinum.

§. XII.

Ex eodem nexu huius inteſtini, quem in viris cum collo veſicae urinariae ſupra monſtravimus, facilis videtur explicatio, cur ii, quibus eodem tempore amborum nimia fere contingit impletio, hincque deſiderium ambo haec receptacula deplendi, urget ſummopere, faeces prius alvinas excernere debeant, antequam urinam poſſint emittere. Sicque obſervamus, ut plurimum mictioni flatuum ſtrepitum praeire. Ex eadem ac cognitione Anatomica difficultatem eiaculandi ſemen, dum veſica adimpleta & extenſa eſt, ſolvimus, credimuſque conſilium amicabile anatomica ſtructura fundatum, quod amicus alte-

ri de nocturnis erectionibus conquerenti communicavit. Suppoſita enim nimia veſicae adimpletione veſiculae ſeminales & proſtatae comprimuntur, hac compretione irritantur ita, ut vel nova ſubſequatur erectio, aut orta ceſſet difficilius, ſed potius continua perſeveret. Et ſane cum effectu optimo mictione tanquam remedio adverſus id genus aerumnas uſum eſſe, quendam habeo exploratum.

An non etiam retinentia urinae, & dictae veſicae colli inflammatio ex nimia faecum in inteſtino recto collectione, ex vel morboſa vel ſpontanea retentione cauſſari poſſit?

§. XIII.

Inter tres muſculos, huic inteſtino proprios primus, quem ſphincterem vocavimus, annuli muſculoſi & ſemidigito craſſi ſpeciem habens finem eius ambit & ita conſtringit, ut nihil niſi illo ſuperato poſſit elabi; id quod fit, dum ceſſat agere, & a faeculentis vi abdominalium & diaphragmatis muſculorum deorſum preſſis deducitur.

Pars eius, quae immediate ſub cute collocatur, ideoque alter muſculus ſphincter externus & cutaneus nominatur, valde eſt tenuis, ad ani conſtrictionem tribuit nihil, ſed cutim modo,

quae circa anum deprehenditur ; conſtringit : Cutim hoc in loco acrimonia , quae faecibus ineſt , excoriaret , ni id ſmegma illud , quod illam oblinit , e glandulis ſebaceis hac in vicinia copioſe reperiundis impediret .

§. XIV.

Reliqui duo , levatores ani , inteſtinum rectum a parte poſteriore verſus anteriorem ambientes , faecum expulſionem adiuvant , retinent illud , ne in exitu faecum retrorſum labatur , illudque illis expreſſis intra corpus retrahunt , id quod , ſi in macilentis animalibus maioribus , ex. gr. vaccis , faeces alvinas excerni attente obſervemus , accuratiſſime his fieri muſculis cernimus . Evidenter enim eo momento , quo faeces expulſae ſunt , hanc inteſtini recti elevationem & retractationem diſtinguere valemus .

§. XV.

Arteriae tam ex hypogaſtrica quam ex meſeraica inferiori ortae ad inteſtini huius nutritionem & ad ſecretionem muci , quo ſuperficies interna in ſuos uſus ſupra memoratos obducitur, uti & ad ſecretionem adipis , qua in certos fines circumcingitur , ſanguinem adducunt ; venae e finibus harum arteriarum ortae partem ſanguinis , peractis ſupra dictis ſecretionibus , reſiduam ,

hypogaſtricae ad venam cavam, meſeraicae ad venam portarum & ſurſum quidem reducunt.

§. XVI.

Vaſa lymphatica tanquam venarum inhalantium continuationem huic inteſtino concedimus, aeque hac caeteris inteſtinis vaſa lactea conceſſimus, quae a ſe invicem tantum in eo differunt. 1. Quod ultima villis ſive ſphincterulis eminentioribus in interna tenuiorum inteſtinorum facie ſeſe oſtendant; prima autem a poris initium ſuum ſumant. 2. Quod ultima chylum, prima liquida & tenuiora quidem reſorbeant, & facta reſorptione illa ad ductum thoracicum ut vaſa lactea chylum, finaliter tranſmittant. Nemo hinc in dubium vocabit, iuſcula, lac, aliaque fluida adeo chylum, ſi hucuſque ferri poſſet, iniecta in maſſam ſanguinis aeque tranſire poſſe, ac chylum per vaſa lactea, itaque per hanc viam hominem ſi non perfecte, diu ſaltem per aliquod tempus & imperfecte abſque omni per os allato eſculento & potu nutriri & conſervari poſſe; nec minus eadem hac via clyſmatibus medicamentoſis varios poſſe curari morbos, quidam inter Medicos in Anatomia verſatos num ibit inficias (*a*).

(*a*) *In novellis publicis nuper quidam Gallus Chirurgus curam luis venereae ſola Clyſmatum mercurialium ope efficiendam orbi communicavit.*

Digitized by Google

partium deſtructione adeo incurabilibus illud inteſtinum morbis ſit obnoxium, facile quivis diiudicabit.

Qui tamen morbi ut ad ſuum adoleſcant effectum, & ſitus ipſe perpendicularis & ſtructurae ratio & ſpecialis cum aliis vicinis partibus connexio, uſus denique tam neceſſarius ſuam conferunt ſymbolam.

Verum morbos detexit aliquos praxis, qui illud infeſtant inteſtinum, quin vel una ex cauſſis praediſponentibus potuiſſet incuſari, quos ad generaliorem morborum claſſem ſpectantes, hac diſſertatione intactos iuvat reticere.

§. II.

Horum iam morborum, quae facies multiplex, quis color, videamus, ad bilancem examinemus illos, qui praxin medicam exercentes hucuſque occuparunt. Accuratam eorum in hoc Capite, quantum fieri poteſt, exhibeamus deſcriptionem & diviſionem; ne vero noſtri tantum ingenii videantur partus, quaſdam ex operibus quorundam virorum tum recentiorum, tum recentiſſimorum omni fide dignorum deſumptas hiſtorias & obſervationes addemus. Diagnoſin, Prognoſin & Curam illorum in ſequenti Capite pertractaturi.

Digitized by Google

§. III.

Praecipui inteſtini recti morbi, qui modo ſpeciali uti afficiunt illud, ita & ſpecialem curandi requirunt methodum, a nobis ſpecialiter conſiderandi ſunt hi:

I. Imperforatio,	II. Procidentia ani,
III. Haemorrhoides,	IV. Abſceſſus,
V. Fiſtula,	VI. Scirrhoſitas,
VII. Teneſmus,	VIII. Condylomata, puſtulae, aliaeque excreſcentiae.

§. IV.

Imperforatio.

Imperforatio inteſtini recti, vulgo ani, morbis eſt neonatus praeſertim proprius & practicis admodum frequenter obvius; & tunc exiſtit, quando infantes abſque omnia aut ſaltem non ſufficienti apertura circa anum naſcuntur ita, ut meconium & ſubſequentes faeces alvinas evacuare nequeant.

§. V.

Si phyſicam mutationem aut praeternaturalem in imperforatis inteſtini recti formationem ſpe-

ſpectemus, ut artis Anatomicae & Chirurgicae periti illam poſt exenterationem infantium ex hoc morbo defunctorum apertis oculis perſpexerunt, tripliem ſpeciem imperforationis habemus; unam, ubi inteſtinum rectum ipſum non canalem, ſed ſolidum adeo (1) cartilagineum cylindrum repraeſentat, alteram ubi (2) extremitas eius, quae ſphincter cutaneus eſt, perfecte clauſa reperitur: Et tertiam, ubi inteſtinum rectum quidem de canali & foramine penes anum gaudet, aſt tam anguſto (3) ut vix ſtylus exploratorius introduci

---

(1) CORNELIUS TRIOEN *in faſciculo obſervationum Med. Chir. pag.* 61. *obſervationem citat, ubi anum, quem diſſecuit, ad pollicis tranſverſi longitudinem ſuperius ſeſe ſiſtentem remoram ad decem lineas circiter excurrentem animadvertit, haec remora indolem membranae plane corneae adepeta circa fundum in anum tendebat.*

(2) D. IOAN. FRID. BAVERUS *in actis Phy. Med. Tom. IV. pag.* 567. *obſerv.* 5. & 7. *de puella diſſerit, quae anum perfecte clauſum habebat.*

D. BENEDICT. QUILLMANNUS *ani clauſuram in foetu maſculino obſervavit.*

(3) *Laudatus* CORN. TRIOEN *in faſciculo ſuo obſerv. Med. Chir. pag.* 59. & 60. *in cadavere puellae ex retentione Meconii demortuae rectum tanquam coli appendicem inſtar caulis adeo anguſtum invenit, ut vix ſtylum exploratorium mediocris craſſitiei amplecteretur, per conſequens ad alvum debite ſolvendam ineptum.*

poſſit, quo ſit, ut in hac ſpecie aeque ac in duabus primis craſſa meconii materies aliaque faeculenta retineri debeant. Obſervarunt quoque inteſtinum rectum apud pueros neonatos in veſicam urinariam (4).

Et apud puellas in vaginam (5) fuiſſe terminatum (6), adeoque in quibuſam muſculos

---

(4) Cl. PRAESES *in Noſocomio Pariſienſi, Hotel Dieu dicto, puerum imperforatum vidit, qui urinam una cum meconio per urethram reddebat.*

FAB. HILDANUS, *in puero, quem honeſta mulier genevenſis peperit, obſervavit; inteſtinum rectum veſicae fundo fuiſſe adnatum.*

(5) Cl. P. *refert nobis* LEURETUM *celebrem in Gallia Obſtetriciae Artis Practicum & Profeſſorem in Collegiis ſuis enarraſſe, filiam, cuius vagina fuit imperforata, ex coitu a iuvene per inteſtinum rectum celebratum fuiſſe impraegnatam, & feliciter per hanc viam partum edidiſſe.*

D. AND. KIRSTEN *in actis nov. Phyſico-Medicis pag. 24. volum. 9. de puella cum manibus monſtroſis & ſine ano nata, faeceſque per genitalia reddente communicat obſervationem.*

Huic ſimilem KALSCHMIDIUS *Profeſſor olim Ienenſis & celebris in noſtra Germania Medico-Chirurgus ſub calcem diſſertationis de virginitate inſeruit.*

(6) IOAN. NICOLAUS BINNINGERUS COLON *in cadavere pueri ex defectu podicis demortui in extremitate ſua omnino conſtrictum, quaſi fune circumligatum fuiſſe, & inteſtinum rectum omnino defuiſſe obſervavit. Vid. eius obſerv. & curat. cent. 2. pag. 223.*

Idem notat non multum diſſimilem hiſtoriam habere felicem PLATERUM *lib. 3. obſerv. pag. 564.*

elevatores inteſtini huius omnino defeciſſe; defecit interdum ipſum inteſtinum rectum.

§. VI.

Quantumvis imperforatio unus ex praecipuis inteſtini recti morbis poſſit appellari, illi tamen non eſt propria abſolute, ſed diverſis etiam aliis orificiis aut aperturis reperitur familiaris; ita tamen, ut morbus ſemper non ſit, imo in certos & quidem bonos ſuos uſus a natura haec imperforatio intendatur: vaginam apud puellas & urethram apud pueros (7) neonatos imperforatam, ſeu menbranula quadam clauſam interdum invenimus. Cum in hiſce caſibus ſanguinis menſtrui evacuatio & urinae excretio impediantur, quibus retentis mors poteſt inferri, hinc morborum claſſi adſcribuntur (8). Pupillam (9), aures membrana aut muco clauſas oſtendit Anatomicorum

(7) *Penem membrana clauſum obſervavit* IOB. A MEECKREN *vid. obſerv. Med. Chir. pag.* 115.

(8) *Membranulam pupillam infantis nuper nati occludentem, eiuſque vaſcula primus, uti nobis videtur, invenit, auditoribus ſuis oſtendit, ac deſcripſit* B. S. ALBINUS *in annotat. ſuis accadem. Libr. I. Cap. VIII. pag.* 33.

(9) *Membranam tympani muco aut ſebacea quadam materie obtectam ſaepe vidimus.*

labor & Chirurgiae praxis. Dicunt Phyſiologi hanc membranam, hunc mucum impedire, ut non radii lucis & ſonori ad retinam & tympanum, quae in neonatis exquiſito gaudent ſenſu, tam ſubito transferantur.

An non etiam membrana hymenis vaginam occludens in puellis certam ſuam habeat utilitatem?

§. VII.

Cum hoc in erudito ſaeculo non acquieſcamus cognitione morborum aut effectuum, quibus corpus vexatur humanum, variorum, ſed cauſſas eorum, ſi noſtro aſſequi ingenio poſſimus, ſcire accuratius aveamus, etiam imperforationis cauſſam determinare noſtrum putamus negotium. Fuere quodam permulti, & ſunt vel hodie, qui (10) mirabili imaginationis vi ſpeciatim in mulieres gravidas & infantes, quos utero gerunt, ſimiles naturae aberrationes & deformitates, adeo partium defectus & plurimas monſtri ſpecies, tanquam cauſſae adſcribere non verentur.

---

(10) *Hic* D. IOAN. IACOB. HUBERUS *in actis Phyſ. Med. Vol.* 8. *obſ.* 24. *pag.* 64. *praecluſionem ani imaginationi matris tanquam cauſſae adſcribit; uti ſuſius in hiſtoria obſervationis videre eſt; opinionem ſuam circa hunc articulum clariſſimum hunc virum nunc mutaſſe, omnino ſuſpicamur,*

Quam parum autem haec opinio habeat probabilitatis, & num ſit admittenda, cum ipſi & ratio & obſervatio nollint adſtipulari, argumentis luce meridiana clarioribus, quidquid opponant alii, evicit (11) CHRISTIANUS RICKMANN Medicinae Profeſſor Ienenſis.

Clariſſimus Profeſſor SIEBOLD (12) Praeſes mihi amandiſſimus vim quoque imaginationis tanquam imperforationis aliorumque in recens natis contingentium vitiorum non videtur admittere, ſed aliam plane rationem ſuis ſuffultam argumentis & experientia ſtabilitam doctiſſime aſſeruiſſe.

§. VIII.

Infinitum ego ſuſciperem negotium, ſi millena corporis vitia & morbis, quorum cauſſas forum medicum neſcit, hodie praecipue illorum, quibuſcum naſcuntur infantes, vellem recenſere; hinc riſu me dignum arbitrarer & cachinnis, cum

(11) *Vid. eius tractatus germanice conſcriptus, cuius titulus:* von der Unwahrheit des Verſehen, und der Hervorbringung deren Muttermaehlern durch die Einbildungskraft.

(12) *Videatur eius diſſertatio inauguralis pag.* 10. *ubi in cauſſam herniae cerebri monſtroſae inquirit.*

recta, cum prudens non conſtet cauſſa, ad vim ſtupendam imaginationis ſi dicerem confugiendum: Quare inter fabulas aniles illam opinionem fateor numerandam, & riſu explodendam, quod mulier infantem ano imperforatum peperit ideo, quia ob infantis circa anum impuritatem optavit ipſi orificii clauſuram; nunquid rident omnes praeiudicio liberi? miramur ſane clariſſimum D. HUBERUM in ultima obſervatione affirmaſſe, ideo infanti anum fuiſſe praecluſum, quod unus infantum ſuorum, puer nempe quatuor annorum, levi ex ulcere in nucha laboraret, quod cum coaleſcere inciperet, & vergeret ad conſolidationem, mater aliquoties intuita, forte horrorem inde contraxerit, dicens aliquoties, puero ſuo futurum, ut in nucha cicatricem ano ſimilem nanciſcatur. O metum, o praeſagium ſi non a pectore muliebri, tamen virili excludendum; cum nullam aliam cauſſam huius mali aſſignare queamus, an non petulans naturae luſus poſſet accuſari?

§. IX.

Procidentia ani.

Procidentia ani, etiam prolapſus inteſtini recti, eſt morbus dictus uti praecedens, infanti-

bus & iunioribus familiarior quam adultis; morbus eſt revera plenus taedii & moleſtus aegrotis ; atque ſi phyſica inteſtini, dum hoc morbo afficitur, ſpectetur mutatio, membranam eius internam (13) inverſam & in margine alvi prominentem iudicamus, ipſum inteſtinum ob firmam oſſi coccygis & ambobus innominatis oſſibus adhaeſionem rariſſime aut nunquam procidere poſſe ſentientes.

§. X.

Quaenam ſit cauſſa huius mali proxima, iam diximus, cauſſas praediſponentes aeque ac occaſionales, quarum variae & revera permultae ſunt, habemus conſiderandas. Praediſponens cauſſa, graece προηγουμένη (14), eſt quaevis corpori conditio inhaerens, qua aptum redditur morbum ſuſcipere, ſi cauſſa occaſionalis superveniat ; Hic locum habent 1. debilis & laxa fibrarum & vaſculoſi ſyſtematis textura, 2. cachochymica corporis conſtitutio, 3. particularis idioſyncraſia,

(13) *Sic quoque ſentit* IOAN. DE GORTER: *vide eius ſyſtema praxeos Med. pag.* 24. §. 51.

(14) DD. LUD. FRID. OVELSUM *ani prolapſum annuum vidit poſt dyſenteriam ortum: vide commercium litterarum Norimb. anno* 1745. *pag.* 127.

4. aſcarides aut ulcera internam inteſtini, tunicam irritantes, 5. (15) haemorrhoides, 6. longa diarrhoea aut dyſenteria aut (16) a colluvie humorum ad anum confluentium, 7. haereditaria aut ex variis topicis cauſſis accidentalis huius inteſtini laxitas, 8. ipſe ſitus illius perpendicularis.

§. XI.

Ad cauſſas occaſionales *προκαταρκτικας* vel *προφασεις*, ut cum Celeberrimo GAUBIO loquamur, qui determinat, quod ſit omne id, quod praediſponenti cauſſae ſuperveniens hanc cauſſam excitat, ut una morbum ipſum pariant, referri poſſunt 1. nimis cita alvi excretio, 2. validum

---

(15) HEINRICUS BASIUS *in obſerv. Anatom. Chir. Med. narrat, Fabrum ferrarium* 41. *annorum duobus annis poſt atroces ab haemorrhoidibus caecis ſaepiſſime ſubortis & graviter moleſtantibus dolores perpetuo eundem affligentes aniprocidentia fuiſſe affectum.*

(16) *Idem de puero* 10. *annorum citat obſervationem, quod inteſtinum ipſius rectum a continua colluvie humorum ad anum confluentium, ſeroſorum procíderit laxatum, & a tono ſuo deiectum: hic quoties deponebat alvum, toties inteſtini prolapſum patiebatur adeo relaxati, ut nullis remediis nec internis nec externis auſcultaret amplius. Per quatuor annos faſtidioſum, & acerbum hoc geſtabat malum.*

& frequens conamen, 3. acriora alvum purgantia, 4. acrium & bilioſorum excretorum deſcenſus, 5. teneſmus, 6. per longum tempus inſidere ſellis perforatis, 7. partus difficilis aut praematuratio, 8. expulſio excretorum praeter neceſſitatem; omnes hae cauſſae diaphragmatis, & muſculorum abdominalium contractione vel moderata vel aucta in actum ponuntur. Cauſſae etiam (17) externae violentae abſque praegreſſa cauſſa praediſponente procidentiam ani producunt. Huc referri quoque poſſunt (18) eiulatus & continui infantum vagitus.

§. XII.

Haemorrhoides.

Quando Medicus inquirit, an quidam haemorrhoidibus vexetur, non intelligit quamcun-

(17) IOB. A MEECKREN *in obſerv. Chir. Med. Cap. XV. pag. 389. horrendum ſiſtit caſum gravis cancroſae & horribilis procidentiae ani cum excreſcentia uteri, quam hos uxori cuidam cornu ſue podicem ſolvendo intulit.*

(18) HENRICUS BASSIUS *in obſerv. Anat. Chir. Med. in infante 6. menſes nato ob eiulatum & vagitum continuum animadvertit, cuius inteſtinum ad ſpithamae longitudinem propendebat valde inflatum, ſtaſique inflammatoria in ſphacelum tranſeunte.*

Digitized by Google

que ſanguinis aut ſeri evacuationem; quae ex apertis in inteſtino recto tum altius tum profundius, tam exterius quam interius haerentibus vaſis ſanguineis aut ſeroſis contingit. Cui addi poteſt illa circa extremitatem inteſtini recti (19) intumeſcentia, quae nihil aliud eſt, niſi praeternaturalis tam ex ſyſtemate venae portarum, quam a ſyſtemate hypogaſtrico ortarum varicoſa extenſio plus minuſque extra aut intra rectum ſita.

§. XIII.

Fluxum hunc ſanguinis aut ſeri vulgo dictum haemorrhoidalem, aut haemorrhoides apertas fluentes, uti & varices has, vulgo dictas haemorrhoides caecas aut clauſas, nos numero morborum adſcribere non dubitamus, quidquid etiam Stahliani obganniant, aut opponant alii, quacunque verborum ſuavitate hodierni quidam Medici de optato haemorrhoidum adventu ſuis gratulentur aegrotis, tantum tamen abeſt, ut vel caecae vel apertae ſana afficiant corpora, ut potius illas tanquam effectum aliorum in corpore ſive in maſſa, ſive in viſceribus quibuſdam latentium mor-

---

(19) DRANIUS *vocat hanc intumeſcentiam excreſcentiam fungoſam. Vid. traité des operations pag.* 228.

borum conſiderare nulli formidemus ; illas denuo aliorum diverſorum morborum eſſe cauſſas infra demonſtrabitur :

§. XIV.

Cauſſae haemorrhoidum aliae ſunt diſponentes, aliae occaſionales, quae ſimul etiam tum externae & topiceae tum internae ſunt ; ſtatuunt quidam adeo recentiores pro cauſſa haemorrhoidum quoddam naturae molimen , quo illa ſe ſuperfluo ſanguine ſuo uti per alias vias v. g. nares, ſic per venas haemorrhoidales exonerat , id quod vulgo dictum molimen nos tanquam mechanichum ſecundum principia hydraulico phyſica & ex perpendiculari inteſtini recti ſitu , ut & ex lentiori per ſyſtema venae portarum circulatione verſus hanc partem determinationem ſanguinis potius vocare vellemus .

§. XV.

Ex hoc, quod pauci, ſi numerum hominum tam ingentem conſideremus, haemorrhoides patiantur, concludere licet, ſpecialem ad eas praecedere diſpoſitionem, quam in acrimonia aeque ac ſpiſſitudine ſanguinis & in motu ſolidorum debiliori ponimus ; haec vita nimis ſedentaria diaeta per-

verſa , varii in uſu ſex rerum non naturalium errores aut exceſſus , obſtructio hepatis , inteſtini recti ſitus , ſtructura & uſus producunt ; in aliis corporis humani partibus ſanguinis venoſi motus & refluxus motu & preſſione muſculorum & arteriarum vicinarum atque adiacentium adiuvatur ; in venis haemorrhoidalibus autem facilius retardatur , cum contra pondus ipſemet aſcendat, & variae adſint cauſſae circulum hunc non parum remorantes.

§. XVI.

Craſſae faeces in hoc inteſtino depoſitae & collectae internos extendunt parietes , duritiae ac mole ſua venas tum maiores tum capillares comprimendo, refluxum ſanguinis impediunt, hinc qui alvum habent ſiccam, vexari ſolent haemorrhoidibus. Cuius phaenomeni ratio ex eo poterit facile comprobari, ſi conſideremus, quantam vim, dum faeces ex inteſtinis propellimus , diaphragmate & muſculis abdominalibus in faeces & mediate in vaſa haemorrhoidalia inferre debeamus, foeces enim iuduratae in ſegniore ventre pluribus diebus accumulatae , in ſaccum quaſi extendunt inteſtinum ita quidem, ut etiam illis vaſa maiora haemorrhoidalia verſus pelvis oſſa comprimi ſit neceſſum.

§. XVII.

Tanquam cauſſam occaſionalem haemorrhoidum ſaepe obſervavimus uterum gravidum, ſpeciatim in ultimis graviditatis menſibus; item partum difficilem aut praeternaturalem, ubi arte manus aut inſtrumentorum applicatione infantem extrahere, ſitus contra naturalis infantis nimia pelvis anguſtia, aut deformitas amborum id exigebant. Marginem ani mira & fungoſa quadam excreſcentia, quae haemorrhoides externae & caecae erant, obſeſſum tum vidimus, tum explorando potuimus diiudicare.

§. XVIII.

Haemorrhoides quoque facile afficiunt illos, qui ex mala conſuetudine aut mollitie longo nimis tempore ſellae inſident familiari, & ſimul abſque ſufficiente ratione aut neceſſitate egregios impendunt conatus, quo fit, ut vaſa inteſtini recti putrido vapori & nimio calori vaſa externa haemorrhoidalia relaxanti expoſita, ad varicoſam extenſionem uſque tumeant relaxata.

§. XIX.

HAENIUS Celeberrimus ille Viennenſium in Auſtria Medicus in theſibus ſuis pathologicis

de haemorrhoidalibus quam pulchra ad cauſſas haemorrhoidum numerat pravam illam ſocordium aut occupatarum matrum aut nutricum in quibuſdam regionibus conſuetudinem, qua infantes, ne ſe conſpurcent, magnam diei partem cogant ſellis inſidere perforatis, quod ob cauſſam in ultimo Paragrapho dictam, nempe ob totius inteſtini recti relaxationem nocet ſummopere. Quippe illo utcunque laxato & propendente conſtringens ſe ani ſphincter portionem inteſtini penduli intercipit, vaſa comprimit, unde lapſu temporis diatheſis ad haemorrhoides poteſt generari.

§. XX.

Conſuetudo, faeces diutius quam par eſt, retinendi non ſatis vituperanda, qua ii praeprimis laborant, qui vel nimia occupatione vel deſidia, vel impedimento alio, dum aulam frequentant, aut ſpectabili adſunt ſocietati, quamdiu poſſint, alvos ſuos morentur. Ex hoc enim ſequitur, ut faeces in colo & praeprimis in recto colligantur, coacerventur, rectum inde dilatetur, prematurque ita, ut poſtmodum alvus nequeat niſi ſummo cum niſu exonerari, qua de cauſſa venae haemorrhoidales utriuſque ſyſtematis preſſae, neceſſario & refluxu impedito intumeſcunt.

§. XXI.

Prolapſus ſatis frequens & aliquantiſper perdurans inteſtini recti ita, ut ſaepius a contracto ſphinctere ſtranguletur, haemorrhoidum cauſſa poteſt dici, fit enim, ut venae facilius prae arteriis comprimendae ſenſim ſine ſenſu turgeſcant, & fiant varices.

§. XXII.

Medicamenta & alimenta nonnulla vi quaſi propria atque calefaciente, aut irritante, aut alia quaecunque ad haemorrhoides proritandas apta, qualia ſunt, & paſſim dicuntur, aloe, allium, emenagoga, eſculenta aromatica, aliaque ut & potulenta motum vitalem egregie augentia, inter quae ſi numerem potum ſic dictum Caffee, quamvis ſciam me vituperari, non tamen a me potui impetrare, ut vel aliquam illius potulenti lipis & donſoribus noti non faciam mentionem; haec & id genus alia haemorrhoides non raro excluſere.

§. XXIII.

Inter cauſſas ſuperius recenſitas haemorrhoidum, aequitatio crebrior & longior merito tan-

Digitized by Google

quam cauſſa topica & externa ſuum nanciſcitur locum. Forſan enim oſſis coccygis extremitas equitantibus ſic premitur introrſum, ut poſtica inteſtini portio inde comprimatur. Et mihi videtur veroſimile, equitantes ſua ſaepius excrementa, quamvis in rectum prementia, cogi retinere. Equitationem contra etiam ſaepius tanquam remedium contra haemorrhoides ſumme proficuum infra concedemus. Ideo fortaſſis cauſſa eſſe dicitur, quia valide tranſpirantes neceſſario, ſecundum experimenta ſanctoriana, ſiccam habere alvum debent? forſan ideo, quod equo ſuccuſſore pluries vecti, totius trunci perpendicularis pondere podicem violente contundant,

Cum equi quatrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

§. XXIV.

Cauſſa quaecunque acris ſive conſiſtat in fluido, ſive in ſolido quodam, modo per aliquod tempus in cavo recti trahat moram, illudque debilitet, arrodendo, vaſa infirmet, teneſmum ſeu ſpaſticam inteſtini contractionem excitet, ut in dyſenteria diuturniore prae caeteris amat fieri, producere poteſt haemorrhoides.

§. XXV.

§. XXV.

Morbi vaginae ac veſicae urinariae, inprimis illi, qui circa collum eiuſdem aut circa principium urethrae ſuam habent ſedem, ut ſcirrhi, abſceſſus calculi, &c. haemorrhoidum circa anum ſunt cauſſae. Haec quoque a plurimis veſicales vocantur haemorrhoides; fluxus etiam haemorrhoidalis obſervatur tunc, quando in poſtica vaginae parte tumor oritur.

§. XXVI.

Frequentior hirundinum ſuctus ex inducta huc verſus derivandi ſanguinem venam portarum obſtruentem conſuetudine, e mollientium decoctorum, ſive aquae calidae vapores, ſcelus in coelum clamans contranaturale, inter homines nequidem nominandum, Italis Galliſque uti dicitur, ſatis familiare. Multas & praecipuas haemorrhoidum, cauſſas enumeravimus, taceamus plures, ne Lectoris benevoli patientia abuti videamur.

§. XXVII.

Diviſio haemorrhoidum in internas & externas non utilis; quidam internis aut externis

tantum vel ambabus ſimul vexantur (*a*). Internae exiſtunt, tum parvae ſunt, longo tempore, antequam ſentiantur, ſed dum augentur, exitum excrementorum anguſtant, & exigua quaedam inflammatio ſuperveniens exiguum calorem ac dolorem, dum continuat, & excrementa verſus inteſtinum premunt, producit, augetur dolor & calor, quando aegrotus certam faecum copiam excernit, ſucceſſive illa expellendo, ſic irritando mole augentur, ſimul in varios, ut & externae, morbos degenerant, inter quos ſit primo loco abſceſſus.

§. XXVIII.

Abſceſſus.

Morbus hic aeque vulgaris, ac haemorrhoides, quae tamen abſceſſus velut praecurſores ſolent non raro praecedere; utplurimum vero tanquam effectus inflammationis venit conſiderandus. Magna, quae circa inteſtinum rectum eſt, adipis copia, ſituſque huius ſpecialis obſtructioni & in-

(*a*) *Varias aetates afficiunt haemorrhoides, ſic caecis haemorrhoidibus tumidis quidem & valde dolorificis matronam quandam 60. & plurium annorum vexatam fuiſſe obſervavit* IOAN. NICOL. BIRINGERUS *in Cent.* 4. *pag.* 434.

flammationi locum cedunt commodiſſimum, quae altiores agens radices & fixa, cum difficili artis opera & medicamentis ſtrenue adhibitis aegre repellatur, in ſuppurationem inflammationi pediſſequam ſolet abire; exinde colligitur abſceſſus centrum tumoris haemorrhoidalis occupans.

§. XXIX.

Praeter abſceſſus ex haemorrhoidibus aut ex alia quacunque cauſſa ortos, alios circa inteſtinum rectum obſervarunt practici; vocantur gangraenoſi aut ſphaceloſi (*a*). Qui paucorum dierum ſpatio dicti inteſtini & partium vicinarum gangraenoſam minitantur deſtructionem, maiores dicuntur hi abſceſſus, & translationem materiae cuiuſdam morboſae, vel a quadam corporis parte, vel ex tota maſſa methaſtaticam a natura excitatam pro cauſſa habent.

§. XXX.

Anatomicam inteſtini recti deſcriptionem quicunque perlegerit, facile noſcet, quam multo il-

M 2

(*a*) *De quibus vid. traité des operations de Chirurgie de Med.* LE DRAN. *pag.* 215.

Digitized by Google

lud circum volutum ſit adipe, & concipiet exinde, quanta ad abſceſſus tum parvos tum maiores & gangraenoſos ipſi ſit diſpoſitio; omnium enim abſceſſuum ſedem eſſe membranam adipoſam ſciunt omnes artis medicae peritiores: hanc autem diſpoſitionem hinc augent tantus ex duobus ſyſtematibus vaſorum haemorrhoidalium concurſus & contextus, perpendicularis ad inferiora trunci ſitus, & minus, quam in aliis partibus, vaſorum ſuſtentaculum, continua faecum dum induratarum, tum acrium excretio.

§. XXXI.

Oſſicula aliaque corpora dura, aſpera aut aucta, ſaepe cum eſculentis & potulentis, aut alio caſu fortuito deglutita, ex ventriculo ad inteſtina devoluta, motu periſtaltico ad plicas inteſtini recti uſque propulſa, ibique acuminibus aut aſperitatibus ſuis tunicam internam & profundius perforantia, id genus abſceſſus non ita raro excitarunt (*a*).

(*a*) *Partem cultri in caeco & inteſtino recto invenit prope anum* BINNINGERUS. *Supra laudatus* LE DRAN *in obſerv. ſuis ex gallico idiomate in germanicum translatis pag.* 448. *obſervat. deſcripſit, quam a Chirurgo bagano* DESTENDAV. *ſibi communicatam citat, ubi abſceſſus & fiſtula oſſiculo quoddam tandem forcipe extracto cauſſata fuit.*

§. XXXII.

Ex ipſa lue venerea ovo non felici abſceſſum quoque inteſtini recti fuiſſe excluſum; docuit experientia, interdum etiam materies virulenta ex urethra in gonorrhaea effluens in glandulis inguinalibus ſtagnans, ad maſſam per vaſa lymphatica translata, ex illa ad adipem inteſtini recti naturae conamine hoc miaſmate ſeſe liberante transfertur metaſtatice (*a*).

§. XXXIII.

Fistula.

Quemadmodum ex haemorrhoidibus abſceſſus, ſic ex illis perſaepe oritur fiſtula. Nihil hoc morbo communis, non tam ſoli haemorrhoidarii, ſed alii haemorrhoidalis nominis & doloris ignari fiſtularum poena ſaepius mulctantur. Generalem fiſtulae ſignificationem brevitatis cauſſa tranſimus, vulgo per κν fiſtula ani, intelligimus abſceſſum, qui ad exteriora & interiora inteſti-

(*a*) *Varios inteſtini recti abſceſſus ſupra citatus author tum a lue venerea tum alios a naturae conamine productos in obſervationibus ſuis deſcripſit.*

Digitized by Google

ni recti verſus extenditur, & quidem ſi ſiniſtre tractetur poſtquam apertus eſt, & ſi negligatur, in cavo & iuxta margines calloſitates poſt ſe relinquit.

§. XXXIV.

Ex eodem ovo, quo abſceſſus etiam fiſtulae excluduntur mali corvi ovum ſemper malum. In membrana adipoſa ſedem habet fiſtula, & capit incrementum, dum pus ab una cellula tranſit ad aliam ita, ut multa carnis portio muſculoſae infra denudetur, quin tamen caro hac puris acrimonia exeſa evaneſcat, & collabatur.

§. XXXV.

Pus interdum ad intra verſus internam recti membranam propellitur, in tanta copia, ut tandem rumpatur, & effluat, per ſphincterem etiam faeculenta tenuiora per hanc rupturam in cavum fiſtulae intrare, & vehementiſſimos ibidem dolores poſſint excitare. Interdum etiam pus, & ut plurimum quidem ad extra verſus pellitur ita, ut cutis magis & magis extendatur, extenuetur, & rumpatur; quae rupturae diverſitas fecit, ut auctores fiſtulam in internam & externam, in caecam & apertam, in completam & incomple-

Digitized by Google

tam diviſerint, & vocarint completam, ubi inteſtinum intus & extus ruptum invenitur, quae tamen ſatis rara eſt; externa dicitur, ubi ruptura eſt exterius; haec frequentiſſima; interna, ubi interius ruptura eſt, cuius exemplum cum alvo videtur corvo (*a*).

§. XXXVI.

Scirrhoſitas.

Nemo hoc morbo inteſtinum rectum afficiendum ibit in ficas, qui illud & glandulis & folliculis mucoſis conſtare cogitabit; ad illum diſponunt praecuntes haemorrhoides ac humorum tum excretorum tum aliorum acrimonia, uti & ſiniſtra & nimis tarda haemorrhoidum vel abſceſſuum, fiſtularumque tum Medica tum Chirurgica pertractatio. Praxis hunc morbum aliquando oſtendit, illumque ceu peſſimam & lethalem, ut plurimum inflammationis aut lentae obſtructionis inteſtini recti terminationem & epilogum merito conſideramus.

(*a*) *Talem internam* LE DRAN *obſervavit pag.* 438. *in obſerv. ſuis.*

§. XXXVII.

Scirrhoſitatem hanc ſcirrhis aliarum corporis humani partium omnino ſimilem, viſu & tactu facile cognoſcimus, dum illas partes, quas planas & aequales alias, inaequales valde & ſcabras, ſimulque dolentes multum reperimus (*a*).

§. XXXVIII.

Condilomata, Puſtulae.

Aliaeque prope anum tam extra quam intra inteſtinum rectum practicis ſaepius obviae excreſcentiae.

(*a*) FRED. RUYSCHIUS *Amſtelodami in viro conſiſtentis aetatis & melancholico quidem inteſtinum rectum integrum ita induratum & ſcirrhoſum obſervavit, ut pollicis craſſitiem ſuperaret, at ita quidem induratum, ut, an carnoſum an cartilaginoſum diceret, dubitaret. Vid. obſerv. XCV. p.* 89.
Idem celebris obſervatur difficilium curatu & gravium caſuum, in re Medica & Chirurgica contingentium, in alio viro hanc inteſtini recti incraſſationem & indurationem Scirrhoſam in praxi ſua annotavit. Vid. obſerv. XCVI. pag. 90.
Clariſſimus MORGAGNUS *in foemina quinquagenaria haemorrhoidibus obnoxia, inteſtinum rectum ſex tranſverſis digitis ſupra anum indurari, & craſſari cum variis protuberantiis ad fabae magnitudinem accedentibus obſervavit.*

Digitized by Google

Varia adhuc tum internam inteſtini recti faciem, tum externum ani marginem occupant vitia: Quae tamen ſingula a morbis ſuperius iam deſcriptis facile diſtinguet ſemiologus, & vitia nunc enumeranda, ut plurimum tanquam ſymptomata aliorum morborum aut illorum eſſe effectus, luis ſpeciatim celticae nobiſcum iudex erit non iniquus (*a*).

§. XXXIX.

Erudito ſatis calamo, ſtilo ſatis concinno, longo verborum apparatu id genus excreſcentias deſcripſit, ex ſpeciali harum ſitu & conſiſtentia, ſpecialibus etiam nominibus diſtinxit Clariſſimus ASTRUE in tractato ſuo certe docto de morbis venereis (*b*). His itaque, cum praeter ſcopum ſit noſtrum, fuſius proſequendis ſuperſedemus.

(*a*) Clariſſimus MORGAGNUS *in obſerv. ſupra cit. etiam annotavit duas excreſcentias maiores prope anum pendentes, cute circa anum leviter exulcerata.* PORTAL *pag.* 93. *in opere modo citato obicem vel tumorem carnoſum, qui totum tubum replebat, invenit in viro aetatis ſuae* 67., *qui doloribus colicis cum borborygmis, qui ultra* 4. *menſes cum variis remiſſionibus protrahebantur, prehenſus fuit, cui regio epigaſtrica tumebat, ac paulo poſt totum abdomen cum alvo plane ſicca ſuperveniente, demum vomitu pertinaciſſimo, quem ſingultus comitabatur, ſeptimo morbi die criſi ſolvebatur anima.*

(*b*) *Vid. Cap. X. pag.* 284.

§. XL.

Teneſmus.

Inteſtinum rectum nonniſi pondere vel acrimonia excernendorum ad ſui extenſionem & contractionem in ſtatu naturali quod moveatur, ſciunt Phyſiologi, quod contractionem ſequatur excretio materiei faeculentae, iam induratae, alias fluidae, nunc mediocris conſiſtentiae, afferent iidem; verum contingis ſaepius, ut homines frequentem & irritum conatum egerendi alvum perſentiſcant, quin tamen alvi incrementa, ſed ſanguinei quidquam aut mucoſi deponant; hunc alvum deponendi conatum, hunc laborem irritum, dicunt teneſmum Pathologi (*a*).

§. XLI.

Variae proſtant cauſſae, quae teneſmum producunt: ſic omne irritans in ano relictum, ſive aliena ſit deglutita quaedam ſubſtantia, uti calculus, hic loci ſucceſſive natus aſperior (*b*) ver-

(*a*) *Continua contractio veſicae urinariae etiam teneſmus veſicae merito vocatur; uti* D. IOAN GRASSHIUS *obſerv. XLI. pag.* 15. *in actis Phyſ. Med. Volum.* 10. *hanc vocat.*

(*b*) D. MORCAU *Chirurgus Noſocomii Pariſienſis*

mes vellicantes, uti aſcarides & alii, ſive ſuppoſitoria acria, clyſmata nimis calida & purgantia acriora: ad has quoque cauſſas referri poſſunt morbi tum generales, dum ſpeciales quidam morbi inteſtini recti ſupra deſcripti v. g. inflammatio Eryſipelas, fiſſura, fiſtula, ulcus, haemorrhoides & alii eiuſdem coloris, & cenſus.

§. XLII.

Cum hoc teneſmo conflictantes ſaepe etiam aliquod bilioſi aut purulenti excernunt, ſaepius nihil omnino, conſtantem in ano pruritum cum dolore coniunctum aut violentam profundius ſentiunt contractionem. Teneſmus ſaepe conſtans eſt, & in gravidis interdum protromus partus ſed praematuri, ſymptoma dyſenteriae certum (*a*) dicitur teneſmus haemorrhoidalis (*b*), quan-

---

Hotel Dieu dicti primarius, calculum egregiae magnitudinis per anum extraxit cum integra patientis reſtitutione. Vid. memoires de l' Academie de Chirurgie Tom. III.

(*a*) D. D. IOANN. FRID. GRIM *primum obſervavit teneſmum in corpore ſano tanquam effectum. Vid. act. nov. Phyſ. Med. Acad. nat. curioſ. pag. 77. obſ. XIX. Tom. 3. Idem fortiſſimum teneſmum obſervavit in dyſenteria maligna, cuius morbi hiſtoriam videre eſt, quae autumno annorum 1760. & 61. in urbe & agro Iſenacenſi epidemice graſſata fuit. Vid. nov. act. &c. pag. 173.*

(*b*) *De teneſmo haemorrhoidali legi meretur diſſertatio*

do ex conamine ad haemorrhoides oritur; prae-ter cauſſas ſuperius allegatas etiam preſſio capitis infantis apud gravidas, exulceratio veſicae aut proſtatae irritatio, aut acrimonia venerea, a tumore quocunque, excreſcentia, a condilomatibus, a ſpaſtica & conſenſuali contractione & partium adiacentium inflammatione poſſunt venire in numerum cauſſarum.

§. XLIII.

Ex conſenſu quam ſaepiſſime oritur teneſmus, qualem inferunt morbi inteſtinorum reliquorum, huc etiam accedunt morbi hypochondriorum, morbi veſicae (*a*), urethrae, perinaei, vaginae, uteri, in puerperis, in menſtruantibus, & in lochiorum & menſium ſuppreſſione, in his inquam morbis inteſtinum rectum quamvis non immediate afficientibus, ex conſenſu tamen in anatomia demonſtrato teneſmus non raro obſervatur.

---

inauguralis, quam ſub praeſidio DD. IOAN. IUNCKER 1744. *defendit* IOAN. LAUSBERG.

(*a*) *Teneſmum tanquam ſymptoma calculi paſſus eſt adoleſcens in Franconia natus Hermannus Blaſ. Ioſ. Heinrichen Arnſteinenſis, uti in commercio litt. hebdom.* 34. *anno* 1744. *videre eſt, ubi integra & docta morbi calculoſi reperitur hiſtoria.*

CAPUT IV.

SISTENS

MORBORUM INTESTINI RECTI SUPRA DESCRIPTORUM DIAGNOSIN, PROGNOSIN ET CURAM.

§. I.

Imperforatio cum morbus ſit externus & topicus, unice in defectu aperturae, aut orificii, quod in fine regionis perinaei in bene conformatis deſideratur, conſiſtat facile dignoſcitur, modo illam obſtetrices ſive obſtetricatores non negligant, id quod tunc ſaepe contingit, quando poſt partum neceſſaria, & accurata omnium corporis neonati partium & regionum orificiorum naturalium viſitatio, tum ex ignorantia tum ex perturbatione aut nimia poſt infantem in lucem protractum laetitia aut alio quocunque errore omittitur.

§. II.

Inter tres a nobis in ultimo capite deſcriptas imperforationis ſpecies illa ſolum curabilis,

Digitized by Google

quae ab aliis in hoc differt, quod pellicula quaedam, ſola cutis continuatio, extremitatem inteſtini recti, ſalvo eius diametro & reliqua eius ſtructura, tegat, hincque excretionem faeculentorum meconii omnino impediat, itaque cauſſa variorum ſymptomatum & tandem mortis fiat. Cura in perforatione huius pelliculae peragitur.

§. III.

Quando benigna haec imperforationis ſpecies adeſt in loco, ubi orificium ani eſſe deberet, tumor quidam plus aut minus eminens, & meconio, quod inteſtinum rectum infarcit, elevatus reperitur hic tum attento exploratur oculo, lividus eſt, & fluctuantem continet materiem pulti ſimilem, quae ſi apice digiti cuiuſdam comprimatur, tumor retrogreditur, & remanet cavum quoddam veſtigium, quod digito ſublato iterum impletur, materie ſuo pondere ad extus tendente.

§. IV.

Methodus, qua perforatio huius pelliculae inſtituitur, in hoc conſiſtit, quod labia cruciatim lanceola perſciſſi vulneris forcipe debeant abſcindi, & vulnus ex cruciali fieri circulare.

Simplex perſciſſio lanceola facta & crucialis requirit repetitam ſaepe & per plures dies continuatam turundae applicationem, ne labia iterum in tempore, quo effluxus meconii aut faecum ceſſat, conſolidentur, & vetus renaſcatur malum.

Eadem methodus adhibenda, quando hymen oblitteratum ſive pellicula vaginam tegens operatione aufertur. Clar. D. PRAESES conqueritur, quod poſt inſciſſionem ſimplicem, quam in hoc caſu inſtituit, per 14. dies ipſi opus fuerit applicatione turundae, ad praeſervandam labiorum vulneris reunionem, novumque periculum. Omnia haec avertit abſciſſio labiorum & apertura circularis.

§. V.

Obiiciunt quidem aliqui contra hanc methodum operationis, quod infantes expoſt contra voluntatem faeces excernere cogantur, id quod experientia edocti tanquam theoria convicti negamus. In caſu enim noſtro ſive in ſpecie noſtra imperforationis inteſtini recti tam muſculi elevatores, quam ſphincter internus perfecte illaeſi ſupponuntur.

Hi ad perfectam & voluntariam inteſtini recti contractionem ſufficiunt: cutis ſphincterque

externus, cuius forſan quaedam fibrae extirpantur muſculares, parum huic contribuunt voluntariae contractioni, & licet quaedam ſint abſciſſae, manet tamen contractio reliquarum, id quod poſt operationem fiſtulae ani, qua multae & profundiores muſculi ſphincteris interni fibrae ablatae ſunt, ſatis patet; hi aegroti enim excretionem faecum voluntaria non carent.

§. VI.

Poſt operationem vix quaedam deligatio eſt neceſſaria; continens enim meconii & excernendorum effluxus hanc utcunque pulchram & ſecundum leges artis inſtitutam, maculando deligationem reddit inutilem. Labia vulneris digeſtivo ſimplici aut oleo quoddam demulcente unguento ad dolores ſopiendos, quos tranſitus meconii cauſſaret, emplaſtro etiam emolliente ad acceſſum aeris coercendum tegenda, prae aliis ſuademus emplaſtrum matris. Internis remediis egemus nullis, inflammationem enim vix ullam, neque dolores magnos aut ſymptomata haec exigentia operatio haec inducit, etenim praeter tegumenta communia & fibras quaſdam muſculares laeditur nihil. Caeterum alimenta vices hic gerunt medicamentorum.

§. VII.

Cur autem duae reliquae imperforationis ſpecies non ſint curabiles, facile ille videt, qui inteſtinum rectum ad calami ſcriptorii diametrum praeternaturali conformatione coanguſtatum, vel omnino oblitteratum, aut in veſicam urinariam ſive vaginam illud deſinens, aut omnino deficiens ſibi velit repraeſentare. Similes enim malae conformationes interne latentes quis cultello, quis machinis, quis internis remediis auferri, aut in naturalem conformationem mutari poſſe crediderit?

§. VIII.

Procidentia Ani.

Vix quidam in arte medendi expertus in diiudicanda huius morbi praeſentia, & ab aliis diverſitate, gradu & natura errare poterit, morbus hic quando negligitur, non caret periculo, ex eo, quod pars inteſtini ſtrangulata & ano conſtricto intumeſcat, inflammetur, & tandem gangraena omnino diſſolvi poſſit, unde vel mors vel talis huius partis & adiacentium, ſecuta exfoliatione ſubſtantiae ſphaceloſae deformatio, ut ſummum in faeculentorum excretione aegrotus patiatur incommodum.

§. IX.

Raro autem, ſi docta adhibeatur cura, periculum minatur, quamvis primo aſpectu tum Medico quam parentibus, ſi infans hoc malo vexetur, adeo aſſiſtentibus ſummum horrorem & periculum iniiciat; credunt enim cum interna rubente hac inteſtini ſubſtantia propendente animam vitamque patientis propendere: contrarium vero docet experientia.

§. X.

In tollendo cauſſam verſatur cura, cauſſa ſublata, & mortis tanquam eius effectus ſecundum vulgare & in rebus medicis proverbium facile aufertur.

Haec vero cauſſa ſi reſpuat medelam, vel mors ſequitur, vel manet incommoda haec inteſtini procidentia.

§. XI.

Viri in arte Chirurgica profecti aſſerunt, procidentiam ani quam ſaepe contingere ex methodo laterali, qua RAU & CHESELDENUS calculum ex veſica, illius collum cum glandula proſtrata proſcindendo, extrahunt; Ex eo, quod

Digitized by Google

elevator inteſtini recti muſculus hac operatione laedatur non parum, itaque inteſtinum in ſitu ſuo naturali nequeat ſuſtinere; nos id experientia propria confirmare pro tempore nequimus, & adeo cum valde exiguam & fere nullam muſculi elevatoris partem laterali inciſione offendi ſciamus, procidentiam hanc ex ea ſequi negamus, aut ſi a quibuſdam fuerit obſervata, illam aegrotorum eiulatibus agitationibus & clamoribus potius, quam operationi doctae putamus tribuendam.

§. XII.

Si bilis acris, ſi vermes, ſi exulcerationes, ſi haemorrhoides, ſi purgantia acria, ſi calculus in veſica, ſi inflammatio, ſi laxitas inteſtini, atonia &c. ſint in cauſſa, allaborandum ſtrenue, ut remediis his cauſſis appropriatis, adeo ſaepe, ſi poſſint haberi, ſpecificis tollantur. Acria clyſmatibus lenientibus anodynis ex. gr. ex hordeo lacte & oleo involvenda & inefficax reddenda eſt vis cauſtica, qua ſpaſticam inteſtini protuſionem excitant, internam eius membranam irritant.

§. XIII.

Haemorrhoides, pro ſtatu aegrotantis gradu & pro variis morbi cauſſis, pro aetate patien-

tis, vel curandae ſunt aut mitigandae. Cum ſaepius contra vires ſit artis, illas perfecte tollere. Exulcerationes iterum pro indole dum internis tum externis remediis & encheireſibus ſunt tractandae; calculus e veſica extrahendus methodo catiana, quam credimus ſecuriſſimam, cum nullo alio remedio illum unquam e veſica expellendum putemus, ad invidiam eorum, qui ſua contra calculum tam veſicae quam renum remedia ſpecifica divinis etiam laudibus ſolent depraedicare.

§. XIV.

Cum magis aut minus inteſtinum rectum protrudi poſſit, haec protruſio longo ſubin tempore duraverit, interdum brevi, ſic & ſymptomata eo graviora ſunt aut mitiora, quae illam comitantur. Repoſitio hinc vel facilis vel difficilis prout inflammatio, tumor maiorem vel minorem aſſecutus eſt gradum, non debet retardari, multo minus negligi repoſitio. Modus vero quo inſtituitur, non multam requirit ex parte Chirurgi dexteritatem; linteo oleoſo quodam liquore humectato, & indici digito ſupra impoſito pars inverſa ad intus pellenda, ſitus aegroti talis ſub hac operatione eſſe debet, ut nates ſint elevati, & a ſummo ad imum pars intrudatur.

Digitized by Google

Situs hic operationem facilitat ; nulla vis neque dexteritas ſpecialis requiritur , ſi malum non ita duraverit diu , & pars tantum minor ſit prolapſa . Sin tractae fuerint morae , & ſymptomata adſint ſupradicta , non ſtatim ad operationem recurrendum ſed ſymptomata congruis dimoveri remediis conducit .

§. XV.

Malum hoc interdum fit habituale , & ſola repoſitio aliis etiam remediis cauſſae reſiſtentibus licet coniuncta nullum adfert ſolamen , ob recidivam , quae ſequitur ſemper operationem ; volunt hoc quidm obſervaſſe , poſt incisionem lateralem , qua calculus ex veſica extrahitur . Hoc in caſu veſiculam tubulo cuidam affixam inteſtino recto iam repoſito introducendam ſuademus , quae per tubulum aere inflari & dilatari ad hunc gradum poteſt , ut inteſtinum ſic dilatatum ſervari , & inverſio membranae internae perfecte poſſit impediri . Praeferimus hanc veſiculam (*) machi-

(*) *Hanc in* GEORGII HEVERMANII *tractatu de Chirurgicis operationibus Tab. V. Vol. 2. Fig. 2. delineatam inſpicito . Hanc ille auctor etiam in uteri prolapſu laudat , & optimo cum ſucceſſu adhibuit .*

Digitized by Google

nae elaſticae ex filis chalybeis conſtructae, quae poſt introductionem dilatatur etiam, & internam inteſtini tunicam ſuſtinet repoſitam; Eſt enim haec durioris conſiſtentiae, & facile incommodum, dolores ac irritationes excitabit.

§. XVI.

Interna remedia pro cauſſarum & mali varietate varia, pro ſymptomatum multitudinem & gravitate Medico Chirurgus facile praeſcribet. Tempus perderemus, ſi pro indicatis ſupra cauſſis omnia haec praeſcribere, aut formulas vellemus concinnare, Medicis haec indicare nefas foret, Chirurgiam vero exercens ex Chirurgiae principiis ſi neſciret, formularum itaque ephemeridem a nobis poſtularet, Chirurgi nomine hunc indignum iudicaremus.

§. XVII.

Unicum adhuc dictis ſuperaddi credimus neceſſarium, nempe antequam ad applicationem unius aut alterius machinae progrediamur, in caſu, ubi inteſtini laxitas, atonia cauſſa eſt procidentiae, decocta quaedam diſtringentia & conſortantia ex vino rubro & radice biſtortae, vel tormentillae & ſimilium, aut aquam vegeto mi-

neralem ; aut aquam alumine mixtam eſſe applicanda , calide , ſuadendo ſimul , ut infantes aut adulti hoc malo affecti femora ad ſe adducta , anumque ſemper clauſam, dum ſedent , ſtant aut decumbunt , velint ſervare .

§. XVIII.

Haemorrhoides tum ex aegroti querelis, tum exploratione per digitos, tum aſpectu poſt natium divaricationem dignoſcuntur, & non eſt difficile, illas ab aliis hanc partem vexantibus morbis diſtinguere . Differunt enim a condylomatibus , a puſtulis , verucis &c. quod ſanguinem continentia ſint tubercula , quae digitorum cedunt preſſioni , laxos inſuper relinquunt ſacculos , qui preſſione ceſſante iterum adimplentur . Difficilioris quidem indaginis & diagnoſeos ſunt illae, quae interne latitant , adeo dum incipiunt , parvae ſunt , quae adſunt diu , antequam aegroti illas percipiant , haec tamen difficultas ſuperatur , ſi tactu attento examen inſtituatur , uti & effluxus materiei mucoſae ichoroſae cum ſenſu incommodo titillante & irritante , de quo haemorrhoidarii conqueruntur, praecipue tum excrementa volunt exonerare, dolores adſunt , & augentur , quando illa exſiccata fuerint , aut ad molem & quantitatem magnam accumulata .

§. XIX.

Notatu tamen dignum cenſemus, tubercula illa preſſioni cedentia ob ſanguinem facilius refluentem tractu temporis indurari, & condylomatum ac puſtularum indolem ac firmitatem induere ita, ut in praxi Medico-Chirurgica minus verſati circa naturam morbi poſſint hallucinari; ſcimus enim, tunicarum praeternaturaliter extenſarum minima vaſa ſuccis adimpleri, volumine ita augeri, ut craſſam & carneam imitentur ſubſtantiam. In tali caſu multa opus eſt in examinando malo attentione & circumſpectione, atque cum ut plurimum & alia haemorrhoides comitentur ſymptomata, ex illis natura mali eſt determinanda (*).

§. XX.

Cum haemorrhoides morborum adeo lethalium non raro eſſe cauſſas ſupra in Cap. III. ſit probatum, hinc illas aliquando periculoſas & lethales adeo, non negamus. Etſi veteres aegrotis ſuis de adventu illorum fuerint gratulati, non

(*) *Proſtant exempla haemorrhoidum, quae ſcirrhoſae factae ſunt, & denique cancroſae.*

Digitized by Google

tamen illas morbum & morborum aliorum cauſſas denominare nunquam ceſſabimus, & felices illas terque quaterque beatos vocare, qui illis nunquam fuere vexati.

§. XXI.

Fluentes ſive haemorrhoides apertae, internae, & externae tantam interdum ſtillant ſanguinis copiam, ut aegroti ad multum uſque gradum debilitentur, tandem fiant hydropici vel cachectici, aut hectici, praecipue ſi ſint rami ex ſyſtemate venae cavae aut hypogaſtricae, id quod contingit haud ita facile, ſi haemorrhogia e ramis venae portarum oriatur, cuius rationem infra fuſius placeat auſcultare.

§. XXII.

Econtra obſervant practici, per haemorrhoides interdum oriri haemorrhagias periodicas, quas menſtruis mulierum licet comparare, hae non debilitant, ſi non ſint nimiae. Ex quo inferri poteſt, his alias quaſdam criticas ſive periodicas ſuppleri evacuationes, quibus natura fuit aſſueta; His nunc facile explicatur; cur fluentes haemorrhoides melancholiam & phrenitidem alioſque morbos periculoſos vel curent,

vel avertant. Et ſimul, cur ex haemorrhoidibus ſuppreſſis ſaepe melancholia & hepatis obſtructio augeantur?

§. XXIII.

Cura haemorrhoidum pro cauſſis earum diverſis & ſpeciebus inchoanda, illaque ab initio, dum illas advenire ſentit aegrotus, & Medicus, tum apparuere primitus, habet locum. Sunt enim morbus curandus ob graviores morbos ex eo orituros, ut plurimum, antequam apparent, aegroti de conatibus ad haemorrhoides, de doloribus tum in hypochondriis, lumbis, tum circa anum conqueruntur; hoſque non niſi veri Medici intelligunt, illos vel plethora diatheſi, vel ex conſtipatione alvi, aut aliis de cauſſis ortos eſſe: Medico oculo videntem in tollendo cauſſas iuxta artis principia ſtrenue oportet allaborare: Atque cum ſucceſſu vel impediuntur, dum pulſant ad ianuam hoſpites, & abiguntur, vel iam inquilinae iterum eliminantur.

§. XXIV.

Cauſſa haemorrhoidum ut plurimum ſunt vel plethora vel obſtructio vaſorum haemorrhoidalium: in quibus contra pondus ſuum ſanguis ne-

quit tranare ; tribus hinc indicationibus facere ſatis oportet , 1. moles movendorum venae ſectione in brachio potius, quam in pede eſt inſtituenda , & pro neceſſitate repetenda : 2. inteſtina praecipue rectum laxantibus minus calefacientibus & eccoproticis , uti ex clyſmatibus ex ſero lactis & pulpa caſſiae compoſitis faecibus ſaepe induratis , & vaſa haemorrhoidalia comprimentibus evacuanda ſunt : 3. inflammatio ſi adſit , dolores intumeſcentiae , anodynis & emollientibus cataplaſmatibus , linimentis , ſimilibuſque topicis ſunt ſopienda , ad quae balneum vaporis efficax ſaepe repertum numerari poteſt . Omnia haec praegreſſis primis remediis vim habent reſolvendi.

§. XXV.

Raro conatus ad haemorrhoides & ipſae recentes huic methodo non auſcultant , & una eſt , quam Medici rationales & prudentes adhibent , contraria illis , quam Empyrici in ſummam aegrorum perniciem applicant venam in pede ſecando aut omnino negligendo , primas vias medicamentis draſticis , calefacientibus reſinoſis evacuando , ac externa tubercula oleoſis & relaxantibus nimis illiniendo , quibus impetrant , nihil , quam haemorrhoides ad remedia etiam congrua rebelles ſemper & poſthac pertinaces , morborum arte nulla ſanabilium auctores .

§. XXVI.

Haemorrhoides ſiniſtra nunc cura ſemel acquiſitae, demum inveteratae, variorum morborum evadunt cauſſae, de quibus in Capite priori data eſt deſcriptio, porro danda inferius.

Natura interdum ſeligit haemorrhoides velut canales, per quos morboſam diminuat plethoram, vel obſtructiones viſceris non unius, hepatis, lienis &c. quae hiſce vel impediuntur, aut ſaltem alleviantur; atque tunc caſus exiſtit, ubi de fluxu haemorrhoidum poſſimus gratulari aegrotantibus, ſed illis, quos melancholia, phrenitis perpineumonia aut alius morbus ſolebat divexare.

§. XXVII.

His haemorrhoidibus periodice ſaepe fluentibus ſummum aegri ſentiunt ſolamen, vice verſa his ſuppreſſis morbi ſupra dicti ſuum capiunt incrementum; Experientia hinc ſcimus, haemorrhoides aqua frigida, ſpiritu vini ſimplici aut camphorato, vaporibus conſtringentibus, aut fumo adſtringente ſuppreſſas antea fluentes ſummas pectoris anguſtias, reſpirationem difficillimam, inappetentiam, colicam, varias convulſionum aliorumque morborum ſpecies ſi non lethalium cer-

te periculoſorum protuliſſe, qui morbi tamen cum fluxu haemorrhoidum aperto ſolent exſiccari. Quare haemorrhoides his in caſibus ut minus malum conſervandae, maius vero, mors, gravis morbus ut avertatur.

§. XXVIII.

Secundum omnes in arte Magiſtros natura fluxum haemorrhoidum in omnibus aut ſaltem in plurimis non excitat, contingunt enim eius occaſione varia incomoda & calamitates variae, morbi varii, ut praxis ſuadeat univerſa, ut ducamus nobis religioni, haemorrhoides in homines, quos natura non vult mulctatos, quia nulla haemorrhoidum apparent veſtigia, accerſcere. Praxis enim illa ante multos annos uſitata & ſtudium proritandi haemorrhoides morbos producebat, tam numero quam ſymptomatibus fertiles, ut Medici ſegetem velut inter ditiſſimam lucrum ſibi facerent nulli comparandum.

§. XXIX.

Veteres, inter quos Sthalianos numeramus, haemorrhoides incuſabant ubique, id quod fecit, ut vera cauſſa dolorum in lumbis in veſica urinaria, in ano ſaepius fuerit neglecta, atque homines irrito medicamentorum conatu ad haemor-

rhoides torquerentur. Sic morbi alias curabiles evaſere funeſti, qui abſque his haemorrhoides excitandi principiis facilem admiſiſſent curam, v. g. diſpoſitiones calculoſae, inteſtini recti inflammatio & relaxatio, quae diu neglecta nullam porro medelam admittere videbatur.

§. XXX.

Satis pro ſcopo noſtro diximus de haemorrhoidibus, multa & infinita fere de iis, quod ſuperſint dicenda, novimus; habent ſuas utilitates haemorrhoides, habent & incommoda, circa quae plurima & erudita iuveni practico ſcitu neceſſaria egregius Viennenſium Medicus in citatis infra theſibus pathologicis de haemorrhoidibus ſuam explanavit opinionem, quam quilibet hunc, tractatum cum attentione legens veterum opinioni directe contrariam, & millenis aegrotis ſalutarem ſentiet, & experietur. De caetero in Corollariis quaedam, quae circa haemorrhoides opinamur, aperimus.

§. XXXI.

Abſceſſus hanc in partem ſecundum eaſdem leges & per eadem ſigna diiudicatur. Verſatus in arte cognoſcet facile dum tumor ad marginem

ani in quocunque latere pure plenus percipitur, qui ad alternum digitorum adtactum exhibet fluctuationem.

Eſt vel recens, vel inveteratus, vel parvus vel largus, ſuperficialis vel profundus poſt inflammationem vel methaſtaſin ortus.

§. XXXII.

Pro ſua profunditate & extenſione, & pro aegroti humorum diatheſi abſceſſus inteſtini recti curam facilem vel difficilem admittit, aut omnino nullam, aut interdum mediis quibuſcunque adhibitis & encheireſibus incurabilem degenerat, qui tamen abſceſſus in tempore cognitus ſecundum artem ſi fuiſſet tractatus, facile ut in aliis corporis partibus medicamentis auſcultaſſet, id quod de parvis, ſuperficialibus, recentibus, non de inveteratis aut neglectis, ſiniſtre tractatis, amplis & profundis dictum arbitramur.

§. XXXIII.

Abſceſſus prope marginem ani non ſibi relinquendus eſt, ita ut ſponte aperiatur, ſed ſectione larga plaga, dum pus ſentitur e fluctuatio, aperiendus; ſi enim ad ſummum maturationis gradum exſpectetur, timendum, ne materies

purulenta ſe per telam cellulosſam, ac inter illam & inteſtinum rectum in tanta copia & profunditate effundat, ut conſolidatio vix poſſit obtineri. Id ſpecialiter circa Chirurgiam horum abſceſſuum oportet obſervari, quo neglecto patiens ſe habebit peſſime.

§. XXXIV.

Efficiendum tamen monemus, quantum fieri poteſt, ut aegrotum aut rationibus aut vi vel fraude inducamus, ut inciſionem fieri largam in longum & latum ſibi patiatur, ita ut nullum omnino cavulum reſtet, quod non fuerit apertum, cum alias vulnus poſt talem inciſionem conſolidationem ſolidam vix admittit, id quod facile is intelligit, qui etiam nulla edoctus videt experientia, quam facile inteſtinum rectum a tela celluloſa denudetur, & quam difficile ſit ob ſuſtentaculi defectum ſpleniis ac deligationibus conſolidationem aliis in corporis locis facilius obtinendam hic obtinere. Quibuſdam id exemplis in Capite ſequenti illuſtrabimus.

§. XXXV.

Ulcus nunc poſt inciſionem & puris depletionem mollibus ubique carptis linteis exactae

non

non tamen minus forte explendum, ne inde irritatio, dolor, inflammatio nova, ſpaſmi oriantur. Dein Emplaſtro emolliente tegendum, cui cataplaſma, ſi forſan in vicinia mali tenſio, rubor, durities, dolor obſervetur, ſuper imponi poteſt anodynum calidum, id quod ſua praeſtabit optime, quando abſceſſus nondum, ut ſupra ſuaſimus, illo tempore fuit apertus, quo nondum perfecte fuit maturus. Intus dein depurandum, digeſtivis unguentis pro puritate aut impuritate ulceris adaptis deligandum & tandem exſiccantibus unguentis & lapide infernali, ſi ſpongioſa ſit caro, omnino vulnus conſolidandum.

§. XXXVI.

Interna medicamenta, ut & diaeta ſub cura Chirurgica abſceſſus, diatheſi humorum ſpeciali aut ipſius abſceſſus cauſſae adaptanda eſt, & talia iuvat propinare, quibus ſpecialis, ſi qua adſit, acrimonia v. g. venerea, ſcorbutica ſpecifice emendatur, vires vitae, ſi ſint nimiae, temperantur, ſi debiles, augentur, & tam moderatus curam habeat Medico Chirurgus, ut ſic motus vitalis, ut conſolidatio tuto, cito & iucunde impetretur.

§. XXXVII.

Fiſtulam deteget ille, qui naturae abſceſſus in inteſtino recto, & omnium illorum, quae ad curam requiruntur, ſibi tum praxi, tum ſtudio cognitionem exactam, acquiſivit, neque multis ad hoc ſignis indiget ſpecialibus, aut aliis hunc morbum concomitantibus circumſtantiis, ex unico hic morbus iacet apertus; dum nempe ex cavo aut ſinu quodam per anguſtam aperturam continuo effluat materies, vel puriformis ſeroſa tenuis vel ichoroſa, quod contingit, quando abſceſſus non ſecundum datas regulas tractatus, ſed ab initio ad ultimum maturitatis gradum ſibi relictus fuerit ita, ut materies in magna copia collecta telam celluloſam ab inteſtino exeſerit, aut ſaltem ſectione nimis parva illum aperuerit, vel errorem ſub deligatione & applicatione medicamentorum admiſerit.

§. XXXVIII.

Nos hic fiſtulam ani non ita conſideramus, quaſi eſſet, ſecundum ideam fiſtulae generalem, morboſa vetuſta & oblonga canaliculata & alte penetrans ſolutio in parte molli, cuius latera muco, pellicula, membrana, vel callo obducta non coaleſcunt, ut hanc quidam auctores eleganter &

ſuſe deſcribunt (*), ſed cavum quoddam cum vel ſine ſinuoſitatibus, ex quo per anguſtum orificium materies continuo effluit, cum nulla conſolidationis ſpe, ob ſubſtantiae adipoſae aut carnoſae defectum impedientem conſolidationem membranis licet callo &c. abſentibus.

§. XXXIX.

Fiſtula in ſe conſiderata ſua habet incommoda praeter impuritatem, qua aegrotus veſtimenta inquinat, ſe alioſque conſpurcat, accedunt & illa, quod materies ſaepe retineatur, inflammationem excitet, doloreſque diros uſquedum apertura iterum facta fuerit per tempus clauſa.

Dein id ſimul creat incommodi, quod in fiſtula inveterata natura tandem per illam velut per haemorrhoides tanquam per fontanellam varias morboſas tum critice, tum periodice eliminet materies ita, ut malum aegroti debeant perferre minus, ut maius impediatur. Tali in caſu fiſtula idem eſt ac ulcera phagadenica inveterata,

(*) *Vid.* IOAN. DE GORTER *in praxeos medicae ſyſtemate pag.* 13. §. 16.

quorum curam divus noſter HIPPOCRATES iam legitur prohibuiſſe (*), confirmamus hoc obſervatione, quam vir fide dignus nobis communicavit.

§. XL.

Interim tamen, ſi aeger fiſtula tali & inveterata vellet liberari, ob incommoda tum propria tum aliena, quae alii perſpiciunt, poſſet illa ſuſcipi, ſed ſub hac conditione, ut evacuatio materiei illa habitualis ſuppleatur, atque in hunc finem cauterium potentiale brachio vel cruri applicandum & effluxus materiei per hanc

---

(*) *Saepius iam modo laudatus & omnium Medicam & Chirurgicam artem exercentium laude digniſſimus* LE DRAN *in tractatu, cui inſcripſit titulum, conſultations ſur la plus part des maladies, qui ſont du reſſort de la Chirurgie, ſic ait.*
J' ai vu apres une operation de la fiſtule, de ani fiſtula ſermo eſt, faite contre mon avis dans un cas, ſurvenir au bout de huit jours, une retention d' urine & un abſces dans l' articulation de la cuiſſe, je ne dautai paſqu' il ne fuiſſent ſuruenus en conſequence du derangement ſurvenu dans l' oeconomie de la machine, parle defaut d' evacuation que l' operation avoit ſuſpendue jus qu' ace que la playe ſut miſe en ſuppuration, la nature ayant ète derangèe dans les voyes qu' elle avoit priſes pour ſe debarraſſer d' une humeur qui la ſurchargeit.

viam ducendus eſſet ante operationem aut media fiſtulam radicaliter curantia, dein etiam repetitis vicibus aeger purgatione evacuandus, quae via eſt unica, qua ſymptomata aliique morbi, quos ſuppreſſio evacuationis habitualis afferre poteſt, ſunt amovendi.

§. XLI.

Sufficit aegrotis continuus materiae ſanguinolentae, puriformis, & ichoroſae effluxus, & horror a perpetuo, & tandem nunquam curabili aut ſaltem ſine periculo non amovendo morbo, quod radicalem ab artis peritis exigant curam, hanc autem, niſi in operatione quadam impetrari contendimus, omnes internas aliaſque externas topicas curas, quidquid ſpoponderint alii, aut ſpondeant hodie, nihil auxilii dicimus procuraturas.

§. XLII.

Antequam vero ad hanc operationem progrediamur, conſultum erit examinare; an non in ſanguine virus aut acrimonia quaedam lateat, quae fiſtulam produxit perfectam eius curationem prohibitura, aut ſi concederet, id tamen efficeret, ut novum aliquod in corporis parte no-

va oriretur ; prius emendanda eſſet acrimonia remediis ſuis ſpecificis, ſi venerea, mercurio, ſi alia, aliis ſibi propriis eſſet tentandum.

Aegrotus laxantibus clyſmatibus ad operationem ſit praeparatus, ut canalis inteſtinalis ita ſit vacuus, ut per aliquot dies operatus abſque hac evacuatione, & deligatio ſimul poſſit permanere.

§. XLIII.

Fiſtulas in varias modo dividimus ſpecies; in caecas, in apertas, in internas & externas, in ſimplices & compoſitas. Varias ad fiſtulae operationem in diverſis diverſarum nationum auctoribus, deſcriptas, & figuris expreſſas habemus machinas, quarum aliquae ſecundum diverſitatem ſpecierum mali adhibendas, alias autem iterum omittendas dicunt. Nos autem pluralitatem inſtrumentorum, & apparatus magnos ſecundum quorundam modernorum auctorum regulas & experientiam & ſecundum clariſſimi PRAESIDIS manuductionem quantum poterimus, ſemper evitabimus conſiderantes, rem totam & bene quidem hac operatione agi, ſi cavum illud, quod fiſtulam cum parva apertura format in longum & latum aperiatur, inteſtinum quoque, ſi ad carneas fibras uſque adipe ſit denu-

datum, aut ſimul ut in interna & compoſita accidit, perforatum, id quod ex effluxu puris per anum vel ex miſcella faecum cum pure determinatur, perſcindatur, ita, ut nova ſubſtantia propullulare, & ſolida cicatrix poſſit generari.

§. XLIV.

Hoc vel cultello & quidem tutius, citius & iucundius ac aliis inſtrumentis vel forcipe (*) curvata una aut altera fieri poſſe, imo cum ſucceſſu optimo fuiſſe iam peractum, obſervationibus infra oſtendemus. Cultellus autem eſt ille, quem celebris & dexterrimus Londinenſis Chirurgus PERUVAL POLL in tractatu de fiſtula ani nunc in germanicum ex anglico idiomate translato pag. 97. publico fecit iuri, cuius libellum ſane aureum, ut omnes Chirurgiae practici imo ipſimet aegroti abſceſſibus aut fiſtula affecti legerent, optaremus: Hic, inquam, cultellus eſt curuvatus, in apice obtuſus, ſi intra inteſtinum nulla ſit apertura, forſice illud perſcindimus, & ob ſuam, quam habet curvitatem,

(*) *Vid. figuram huius forcipis. in* GEORGII HEVERMANNI *tractatu de praecipuis operationibus Chirurgis Tab. I. Fig. II.*

unam eius partem per vulnus, alteram per anum intrudendo id facile obtinemus. Si apertura quadam inteſtinum rectum ſit perforatum, cultellum per vulnus, & ab extus ad intus per aperturam in cavum inteſtini dirigimus, ſimul digito indice ſiniſtrae manus extremitatem illius obtuſam ita inflectimus, ut pars intercepta plane perſcindatur.

§. XLV.

Verum quid ad illam methodum dicamus, quam hodierni & celebris quidam Chirurgi inprimis Galli & alii horum diſcipuli in ſuum derivant uſum, qui nempe partem inteſtini cum partibus calloſis ac obſtructis inteſtini telae adipoſae, cutiſque partibus encheireſi horrorem ſpectatori iniiciente, patienti dolores terribiles inferente, poſt plurium inſtrumentorum applicationem radicitus avellunt? hanc cum celeberrimo ſupra citato POTTIO reiicimus experientia edocti, quod ſimplicibus perſciſſionibus una aut pluribus, ſi neceſſum foret, dilatationibus repetitis, omni ſubſtantiae etiam induratae obſtructae, & ut falſo creditur, calloſae parcendo, curam perfectam poſſimus obtinere. Quo ſit primo, ut operatio minoribus ſi ſtipata doloribus, 2. ut ſphincter inteſtini recti tum internus tum exter-

nus maneat intactus, & hinc nullum in depoſitione alvi aegri ſentiant impedimentum. Quam vix negare non audemus, inveteratam & calloſitatibus veris ſtipatam fiſtulam bis aut ter forte ſaepius dilatationem ſimplice forcipe aut cultello exigere. Hanc tamen operationem praeferremus, & ſuaderemus potius, quam encheireſin omnimodae extirpationis crudelem. Potius clariſſimus & celeberrimns ille Vir PRAESIDI noſtro palam & coram affirmavit, ſe intra 15. annorum tempus, quo primarii Chirurgi fungitur munere, in noſocomio aegrotis refertiſſimo Londinenſi ad S. Bartholomaeum vocato, ſe nunquam ad curam permultorum fiſtulis inveteratiſſimis affectorum uſum fuiſſe extirpatione, ſed unam ad ſummum ter repetitas ſemper ipſi ſuffeciſſe dilatationes; Hanc Clariſſimus PRAESES in quibuſdam aegrotis cum ſucceſſu vidit, & hucuſque in ſua praxi Chirurgica vidi ego ſequentem, porro ſecuturum utinam mihi liceret admirari.

§. XLVI.

Marginis ubi pars maxima, aut integer aut profunde quidem ſcirrhoſus ſine aut cum doloribus modo ſit, nollemus ſuadere extirpationem, neque cum cancroſa facta ſit exulceratio: in prima circumſtantia operatio non careret periculo

Digitized by Google

ob vaſorum maiorum laeſionem, quam haemorrhagia lethalis ſequeretur; in altera locum habet idem. Ad operationis periculum materiae cancroſae ad maſſam communicationis accedit metus, ubi id genus operationes ſuo deſtituuntur effectu. De caetero in caſu ſcirrhoſitatis inteſtini recti ut in eius cancroſa degeneratione eodem modo ſecundum leges eaſdem, cum iiſdem cautelis procedendum eſſe iudicamus, ut & in ſcirrhoſitate & cancro labiorum oris, de quo ob quandam analogiam aliquas in ſequenti Capite adferemus obſervationes practicis notatu ſatis dignas.

§. XLVII.

Remedia intus danda, dum ſcirrhus nondum eſt excluſus, non plane reiicimus, uſum cicutae tum internum in forma pillularum, & in forma cataplaſmatis & decocti ex herbis eius non ſterilem omnino credimus; ſpecificam autem & virtutem non fallibilem eiuſdem, ut in aliis partium indureſcentiis, & ſcirrheſcentiis, ſic & in huius ſcirrhoſis degenerationibus non ſatis probatam vidimus & certam, ſed dubitamus adhuc, aliis etiam reclamantibus, vel ſi partis induratae emollitio & reſolutio ob minorem obſtructionis gradum adhuc ſperanda, illam etiam aliis quoque remediis li-

cebit obtinere, modo diatheſi humorum & temperiei vel ſexui ad regulas artis medicae congrua praeſcribantur. Palliativa externa optima ſunt, unguentum Goulardi ſaponaceum &c. Vid. Goulard, quod linteis allinitum exulcerato inteſtino recto cum levamine & ſpe conſervationis poteſt applicari. Aqua vegeto mineralis ſua adhuc vi gaudet ſpeciali, qua phlogoſis, dolores & tumor partis ipſius affectae, tum adiacentium per tempus aliquod prohibentur.

§. XLVIII.

Condylomata, puſtulae aliaeque prope anum excreſcentiae diagnoſeos non ſunt difficilis, & nullum minantur periculum: ut plurimum prope marginem ani internum ſolent reſidere; attamen etiam interne inteſtino fuiſſe accreta docet praxis. Plerumque tanquam effectus ſunt luis venereae, quae ex contactu topico abſque infectione ſanguinis oriri poſſe non negamus; cura, poſtquam cauſſam pertractavimus, nullius eſt difficultatis; ſi ex lue pullulent venerea, mercurialibus interne exhibitis ſponte mox diſparent, id quod experientia nos docet quotidiana. Cauſſa ni deſtruatur, manent, augentur mirum in modum; ut evadant tandem monſtroſa, quo fit, ut cauſſa quamvis ſublata, & maſſa ſanguinis

infecti fuerit emendata, ſine encheireſi Chirurgica, id eſt, abſciſſione vel combuſtione vix aut ne vix quidem poſſint curari. Prioribus hoc addendum credimus, quod ſi cauſſa relicta externis remediis cauſticis aut irritantibus tractentur, facile in cancroſam abeant indolem, radicalem poſtea curam, ſublata licet luis cauſſa, non admiſſura.

§. XLIX.

Teneſmus affectus inteſtini recti multum incommodus, ex querimoniis aegrotorum, ex eiulatibus infantum, ex ſpaſtica inteſtini recti contractione, quae ſenſum doloris pleniſſimum habet ſecum, dignoſcitur, & pro cauſſa ſua difficulter vel facile auferenda pertinax vel brevi curabilis, aut plane nullo medicamine mitigandus.

§. L.

Teneſmus ſcirrho aut cancro ſocius, nullis obtemperat remediis, ut & ille, qui pro cauſſa labem hepatis atrae bilis diſſolutae aut ichoris cuiuſdam ex quodam ulcere alicuius inteſtini aut ventriculi cancroſi vel ſanguinis putridi effluxum habet, nullo tollitur remedio. Palliare quidem clyſmatibus anodynis aliiſque me-

dicamentis topicis illum poſſumus cauſſa adhuc praeſente, radicitus autem nulla alia lege, niſi hanc cauſſa tollendo, hunc affectum dimovebimus. Cum nunc cauſſae eiuſdem revera diverſae cum internae vel externae poſſint eſſe, hinc Medico Chirurgo ſuademus, ut nihil omittat diligentiae in expiſcando cauſſam, hac ſibi perſpecta & vincibili per artem teneſmum tanquam effectum facile poterit perſanare.

CAPUT V.

QUASDAM SISTENS TUM PROPRIAS, TUM COMMUNICATAS DE MORBIS INTESTINI RECTI OBSERVATIONES CUM EPICRISIBUS.

OBSERVATIO I.

Imperforatio Ani.

ANno 1768. civis cuiuſdam huiatis neonatus puer ab obſtetrice imperforatus ano reperiebatur. Chirurgus quidam alias in ſua arte dexter & expertus accerſitus, inciſionibus quibuſdam illum aperire conabatur, ſed irrito conatu, nihil enim meconii prodibat, nihil etiam urinae

per urethram. Status hic ad quintum uſque a nativitate diem ſuſtinebatur. Urina cum meconio magis magiſque accumulatur, ita quidem, ut parentes brevi interitum filii ſibi chariſſimi pertimeſcerent. 5. Die alter fama non minus quam ſcientia & experientia licet iuvenis celebris tamen accerſebatur, qui infantem per omne corpus flavo colore tinctum, abdomen praetumidum, & prae tumore ita attenuatum, ut facillime inteſtina meconio flatibus & potulentis repleta per integumenta & muſculos abdominis potuerint quoad ſitum naturalem & eorum diviſionem perfecte diſtingui. Mirum hoc abdomen praebebat ſpectaculum illi ſimile quando ſub pia matre circumvolutiones aut anfractuoſitates cerebri cernimus. Hinc inciſione profundiore inteſtinum rectum abſque ulla haemorrhagia aperiebat, & ſphincterem internum coalitum & inperforatum reperiebat, plus quam ſeſqui menſura meconii quod nigrum craſſum & putridum erat, vi protruſi excernebatur, abdomen mox detumeſcebat, dabantur clyſmata ex melle & ſpeciebus emollientibus, ut & lene quoddam ex manna laxans. Fomenta quaedam tonica confortantia abdomini imponebantur. Continuus meconii fluxus apertura impediebat clauſuram, infantis ſervandi ſpes affulgebat multa. Verum omnis evanuit, cum tertio poſt ſecundam hanc operationem & octavo poſt nativita-

tem infans ſuum reddiderit ſpiritum. Cadaver cultello ſubiiciebatur anatomico, nulla pars vicina laeſa fuit, etſi profundior ſphincteris interni recti fuerit inciſio, quam primus Chirurgus inceperat, alter perſecerat.

EPICRISIS.

En imperforationis ſpeciem curatu ſat difficilem ex hoc principio, quod profundius pars inteſtini fuerit imperforata; interim tamen magnam ex parte operationis curae ſpem ſuperfuiſſe non negamus, modo primis diebus inciſio cum ſucceſſu fuiſſet inſtituta. Mortem infantis illi cauſſae putamus adſcribendam, quod meconium in canali inteſtinali diu nimis retentum putredinem alcalinam contraxerit, quae tum ipſa inteſtina tum ipſam ſanguinis maſſam affecit miſere. Quare utiliſſima operatio tarda ſi fuerit, ni mortem acceleret, ſaltem nihil fert auxilii.

OBSERVATIO II.

Imperforatio Ani.

ANno 1770. ruſtica quaedam faemella adhuc libera vinculo matrimonii, viſitata fuit, a Chirurgo rei anatomicae experto; anus repertus fuit imperforatus, ſive nulla, ubi naturaliter eſſe de-

buiſſet, erat apertura. Faeces excernebantur per infimum pudendorum angulum, ubi ſub labiis orificium latebat, quod inteſtino recto proprium ad locum ani ordinarium naturaliter debuiſſet eſſe collocatum. Ruſticus quidam iuvenis huic avebat nubere, ſed ab amicis perſonae deformitas ipſi fuit detecta, hanc corporis mutationem & mulieri & viro periculoſam vaticinantes diſſuaſerunt matrimonium.

EPICRISIS.

Ecce aliam in adulta deformationem, quae ſpeciem ani imperforationis praebet, non quod anus ſit imperforatus omnimode, ſed quod orificium eius ſit extra locum naturalem; hunc errorem loci nec excretione faecum neque foetus obſtare, hincque nullatenus huius perſonae a ſtatu libero in matrimonium tranſeundi, non obeſſe facultati, licet maritus de hac deformatione merito antea eſſet informandus ante conſumptionem matrimonii; ille enim hoc contracto petere divortium, cum orificium vaginae & inteſtini recti ſibi tam vicina tum demum experiretur, ſimul & ſimulare potuiſſet hanc deformitatem tanquam divortii motivum, cum aliud quoddam non fuiſſet allegandum.

OBSER-

OBSERVATIO III.

Haemorrhoides.

VIr ſpectatus huius de republica rebuſque privatis meritiſſimus, & omnibus charus 53. annorum bono corporis habitu ab anno decimo ſexto aetatis ſuae ad hodiernum uſque diem fluxum expertus eſt haemorrhoidalem, illique natura ita iam eſt aſſueta, ut vix unus abeat dies, quin ſub excretione faecum fortiter quadrata porta fluat, ad ſummum uno tres inter dies fluxu ſit immunis. Vir hic plethoricus & ſatis vegetus bene dormit, appetit bene, nulloque conqueritur de corporis ſui incommodo; omnia viſcera ſuis rite funguntur muniis, atque abdomen illi licet ſit extenſum, in nulla tamen regione ne minima reperitur obſtructio, aut induratio, praeter copioſum & continuum hunc fluxum omni anni quarta parte in brachio venam ſecari debet curare, & curat, quin inde debilitetur aut fluxus poſt venae ſectionem minuatur, imo potius obſervat augeri; neque obſtat, quod per triginta & plures annos hic fluxus duraverit, nullam tamen nec abſceſſus nec fiſtulae ſenſit unquam incommoditatem, de qua tamen haemorrhoidarii conqueruntur. Nulla prope ani mar-

ginem habet tubercula, niſi tum temporis dum fluxus imminet: nullam nec in eſculentis nec in potulentis ſervat diaetam, & omnia bene digerit, motu vero fortiore & violento corporis augetur fluxus quiete moderandus. Quare illi ab omnibus ambulationibus nonnihil longioribus & corpus fatigantibus abſtinendum, ne in ipſis his motibus aut ſaltem die ſequente fortiorem ſonto experiatur fluxum haemorrhoidalem.

Vir hic quadam minerali aqua ſimul & balneo huius aquae depeſactae uti ante quoſdam annos concludebat, ut malis ex hoc fluxu naſcituris praevenirer, aut emendata fluxus cauſſa dies ſibi prolongaret; aqua hac per dies aliquot cum bono effectu ſumpta, primis viis eadem leniter evacuatis non turbato interim fluxu haemorrhoidum. Sed mirum? in primo balneo fluxus hic, quem illud intrans parum ſentiebat, uno momento ſupprimebatur, caput ſentiebat affectum, & viſum ita hebetem, ut obiecta non poſſet diſtinguere, corporis ſui alacritate amiſſa. Medicus aquarum harum ordinarius vocatus in conſilium balnei ſuaſit continuationem, aegrotus conſilium ad amuſſim ſecutus ſe habebat peius fluxu interim ſuppreſſo. Morbum denique periculoſum augurans patiens locum aliis ſanitatis ſibi mortis futurae deſerit. Redux domum accerſit medicos, qui aegrotum ſtupidum, maniae pro-

ximum, eoque in ſtatu reperiunt, ut humores ob ſuppreſſas haemorrhoides ad ſuperiora verſus coacervatas, cerebrum, oculos, menynges, & quaecunque in capite ſita organa comprimentes ſtatuerent, venae ſectiones in pede, brachiis ad minuendam movendorum molem, ad vaſa deplenda capitis & infarcta per derivationem, per clyſmata, per laxantia omni arte praeparata conarentur, ſed haemorrhoidalis non redibat fluxus, aegerque in ſtatu permanſit eodem, donec tandem quibuſdam fortioribus ſalis anglici doſibus deglutitis cum excrementis ſanguis copioſius flueret per haemorrhoides, hoc eodem momento aeger caput, & omnes corporis partes ſenſit alleviatas, coepit ſe habere melius, atque habet ſe hodie beneficio fluxus ſui haemorrhoidalis.

EPICRISIS.

Etſi infantes rariſſime haemorrhoidibus laborare ſoleant, iuniores tamen ſanguinei temperamenti & plethorici quidem illi fluxum non raro patiuntur haemorrhoidalem. Noſter patiens hoc oſtendit; aucta autem apud infantes plethora non tam ex nimia ſanguinis copia, quam ex humorum rarefactione ab acrimonia non haemorrhoides aeque ac haemorrhagiam narium ſolet excitare; Manifeſto ex hoc caſu videmus, ſuppreſſio haemorrhoidum

fluentium, quantam in corpore, undecunque cauſſa fuerit producta, creet perturbationem, in morbos ſane diros aegrotantes praecipitando. Dein quam parum ad revocandum hunc fluxum praeſtiterint omnis generis & ſaepe repetitae venae ſectiones, id quod illi adſcribimus rationi, quod venae variae varicoſae & ruptae fuerint, ortae ex ramo ſyſtematis venae portarum.

OBERVATIO IV.

Procidentia Ani,

Filia viri cuiuſdam huiatis admodum ſpectabilis quatuor annorum ac debilis conſtitutionis, inteſtini recti inverſione & procidentia per multos dies in minori quidem gradu afficiebatur, quae autem ita gradatim augebatur, ut ad integri fere inteſtini longitudinem horrendo ſpectaculo pars propendens irritaretur ita, ut nec ſponte amplius, ut alias ſolebat neque ordinaria ancillae ac matris ope poſſet reponi, ſed ita intumuit, ut Chirurgiae tam operativae quam medicae auxilium fuerit implorandum. Chirurgus accerſitus de ingenti rubicunda, atra, muco obtecta, ad quinque digitorum latitudinem propendente incraſſata, & ſphinctere ani fortiter ſatis compre-

henſa carnea mole mirari ſatis non poterat, cogitans de repoſitione aliqualem huius molis emollitionem videt neceſſariam ante, quam ſuſciperet repoſitionem, hanc decocto emolliente cum floribus ſambuci cum oleo mixto intra quadrantem horae ſaepius applicato obtinebat. Dein trunco infantis inclinato, elevatis natibus, repoſitionem linteo molli oleo tepido madefacto digitis indice & medio circumvolutis tendebat, inverſam partem inter os coccygis & veſicam ad intus ſucceſſive & leniter protrudendo multo haec operatio ſtetit labore, ſucceſſus tamen videbatur nullus. Eiulatus infantis, inter quos diaphragma & muſculos abdominales magis & magis inteſtinum extus pellebant, ſucceſſum retardabant, oportuit autem, & operam maxime in illis impendere momentis, ubi infans eiulando defeſſus nonnihil exſpirabat, hoc demum modo non ſine patientia & blandimentis repoſitio ſuccedebat; femora, ne iterum procideret inteſtinum, laqueis conſtricta, nateſque ſibi approximatae continebantur; ſic infans ab hac incommoditate, repetita, cum fuit neceſſum, repoſitione, tandem in integrum fuit reſtitutus.

EPICRISIS.

Diſcimus ex hoc exemplo, procidentiam ani ſaepius ex negligentia augeri mirum quantum in-

ſlammari, intumeſcere, & adeo tandem ita ſtrangulari poſſe, ut gangrenae metus accedat. Dein videmus modum procedendi, ſi inveteratam velimus reponere; quam multa requiratur patientia. An non in caſu perfectae ſtrangulationis hic requeat in uſum trahi dilatatio ſphincteris externi & cutis inteſtinum conſtringentis, quae eadem in inteſtinum promoveant ſymptomata, quae annulus abdominalis aut cruralis internis inguinalibus & ſcrotalibus in ſaccum & omentum, vel & in inteſtina ſimul & ſolum excitant? Nos nihil hoc in caſu docuit experientia. In habituali procidentia ſuademus machinam ſupra laudatam.

OBSERVATIO V.

Abſceſſus.

Religioſus quidam 25. annorum vir perfecte ſanguineus, & feliciſſimae conſtitutionis obeſi corporis habitus, equitando nates & adipem anum ambientem per iter ſatis longum ita comprimebat, ut dolore, tumore & inflammatione ad marginem ani torqueretur, unde phlegmon benignioris tamen ſpeciei tandem naſcebatur: Hoc emollientibus ad ſuppurationem ex ordinatione cuiuſdam viri, cuius nomen non ſine ratione re-

ticemus, Chirurgiae nullatenus periti; tumor emollitus largus erat, & pure tam plenus, ut ubique perfecta ſentiretur fluctuatio, aegrotuſque ſummopere ob vehementiam dolorum, qui urgebant, aperturam & materiae evacuationem iterum iterumque flagitaret. Non audiebatur, donec natura ſibi viam, perforante tumoris apex ſponte aperiretur rebus aegroti melioribus. Febris & omnia ſymptomata, ſcilicet ſitis magna, inquietudo ſubdeliria, proſtratio appetitus &c. mitigabantur. Ex apertura nimis parva non omnis poterat materies evacuari, haec turundula quadam ex linteis circumvolutis formata & clavum capitatum repraeſentante omni mane obturabatur, tam exacte, ut ne gutta quidem materiae poſſet penetrare. Sed omnis interim in cavo abſceſſus collecta materies ſtagnando intolerabiles aegroto dolores inferebat, quod cavum ſimul pro aucta copia ampliaret. Hac methodo apertura labia reddebantur calloſa, & ex abſceſſu empirice tractato tandem fiebat fiſtula, quam Chirurgus quidam tum temporis in noſocomio Iulianaeo ſodalis Chirurgiae primarius cultello per inciſionem in forma ⊣ inſtitutam dilatavit, & intra quatuordecim dies aegrotum integrae ſuae ſanitati, qua gaudet vel hodie, reſtituit.

EPICRISIS.

En abſceſſus ani exemplum & ſimul fiſtulae, quam empirica tractatione & neglectu aperturae arte formandae habemus oriundam. Videmus, ex hoc caſu, quam ſit periculoſum, abſceſſum prope anum ſibi abſque apertura mature inſtituenda, relinquere & multo periculoſius, has aperturas turundulis inturatis deligare. Patet inſuper ex hac hiſtoria, quam pulchre per inciſionem abſceſſus in fiſtulam mutati cura acceleretur.

OBSERVATIO VI.

Abſceſſus, & Fiſtula.

RUſticus quidam 65. annorum vir, cum iuvenis eſſet & vegetus, ſumme laborioſus, & domeſticis ſuis negotiis impenſus; ante tres anni quadrantes in latere ani ſiniſtro doloribus & tumore rubicundo afficiebatur. Sponte tumor intra 6. dierum ſpatium aperiebatur, ſanguine cum materia purulenta, effluente. Pluribus ante annis, quod patiens confitebatur, per intervalla haemorrhoides paſſus eſt fluentes, & ſanitate fruebatur debiliore. A tempore aperturae huius tumoris & fluxus ſanguinis cum pure ſa-

Digitized by Google

nitate fruitur meliore, melius appetit, & vires ſuas non parum fortiores ſentit. Chirurgus nomine & omine prae caeteris digniſſimus ad aegrotum hunc ex amicorum ſuaſu miſſus ſtylo externam tumoris aperturam exploravit; fiſtulam cum inteſtini recti denudatione ad quindecim linearum conſuetudinem detexit inciſione ac perſciſſione inteſtini denudati facile curabilem.

EPICRISIS.

Caſus hic nobis novum exemplum haemorrhoidum, ex illis orti abſceſſus ut & fiſtulae exhibet, ſimulque nos docet, aegrotum poſtquam mala haec apparuere, ſe melius ac antea mox habuiſſe; quapropter quaeritur, an conſultius ſit, aegrotum relinqui intactum, an operatione fiſtulam radicitus extirpari? Sana ratio, auctoritas HAENII aliorumque in arte medica celebrium virorum, & ipſa experientia primum ſuadent; ſpeciatim cum aetate iam valde provectus ſit aegrotus, & vix tanta mala ex omiſſa operatione, quanta ex ſuſcepta temerius ſunt pertimeſcenda.

OBSERVATIO VII.

Fiſtula.

HOmo quidam gibboſus & atrabilarius 52. annorum Chirurgo cuidam famae non vulgaris & experientiae fiſtulam ani oſtendebat, qua per quadrantem anni laborabat; praeter diligentem variorum unguentorum & emplaſtrorum alias miraculoſorum ſine ſucceſſu applicationem quaternam paſſus fuit inciſionem, remanente tamen fluxu materiae ſanguineo-purulentae. Chirurgus ſtylo malum inquirens ad os coccygis uſque ſinuoſitatem penetraſſe deprehendit, nullam tamen oſſis cariem licuit detegere. Nulli amplius operationi ſe ſubmittere voluit patiens, hanc quidem ſuaſit Chirurgus dubiam, noluit tamen perſuadere.

EPICRISIS.

Haec obſervatio caſum vere difficilem ponit ob oculos, ex pluribus quidem rationibus, 1. forte ſinuoſitas tam alte penetraverat, ut cultello illam ubique proſequi revera fuiſſet periculoſum. 2. Forſan hoc in corpore atrabilario & cachetico valde natura ſibi per hanc fiſtulam

viam inveniebat, per quam tum ab ipſa humorum cachecia ſe facile poterat liberare. Exſpectandum hinc, quid inde eveniat, aegrotus hodie pro ſtatu ſuo atrabilario ſe habet bene, ulterius quid ſit futurum, ſi ferat occaſio, obſervavimus.

OBSERVATIO VIII.

Fiſtula.

Mercator Italus, vir 42. annorum, artis humoribus, ſi ex habitu faciei iudicare licet, abundans, Chirurgum huiatem, quem in variis Germaniae locis audiverat in arte Chirurgica excellentem, fecit accerſiri, eique enarrabat, ſibi ante 12. annos in regione perinaei curatum fuiſſe abſceſſum, qui ante tres annos redux, iterum ante annum, ultimo ante menſem aperiebatur; cui addidit, ſe haemorrhoidum tabercula prope anum iam dudum fuiſſe perpeſſum, quae ut deplerentur, a Medicis admotas fuiſſe ſanguiſugas. Speciatim vero de apertura quadam prope anum & effluxu materiae cuiuſdam meam ſe poſtulare opinionem. Stylum in hanc aperturam inducendo cognovi fiſtulam ani non valde profundam, cum inteſtini recti denudati parte

perſcidi, & ulcus intra trium hebdomadum tempus methodica deligatione penitus curavi.

EPICRISIS.

Iterum fiſtulae exemplum habemus ex haemorrhoidibus oriundae, quae ſola forfice curvata nullis aliis adhibitis machinis aut inſtrumentis licet inveterata intra tempus tam breve fuit curata.

OBSERVATIO IX.

Fiſtula.

Religioſus quidam 57. annorum corpore robuſtus & obeſus, qui haemorrhoides caecas tuberculis ſe oſtendentes patiebatur, conquerebatur de tumore quodam dolorifico prope anum, quem phlegmonadem Chirurgus in auxilium vocatus inveniebat, cum pulſus aegri durus & celer eſſet, venam bis ſecari, & praeter emolliens unguentum, cataplaſma ex mica panis, vitello ovi, ex croco, & lacte applicari, ſuadebatur. Dolor, tumor minui, ſed materies purulenta ſponte per exiguam aperturam effluere incipiebat, aeger abſolutam iam paginam arbitratus, domum

ſe conferebat ſuam, ſuadente Chirurgo ulteriorem abſceſſus explorationem, quodſi neceſſum eſſet, dilatationem.

Bini vix abiere menſes, & aeger eiuſdem Chirurgi implorabat auxilium ob continuum materiae ichoroſae effluxum; hic ſtylo malum explorabat, & invenit ſinuoſitatem inter inteſtinum rectum adipe denudatum, & ſubſtantiam adipoſam alte aſcendentem: fiſtulam inteſtini recti perfectam malum vocabat, & ut radicitus curaretur, perſciſſionem inteſtini recti cultello perficiendam manibus operationem modo, quo primus explicavit, inſtituendam admiſiſſe, & nunc feliciter reſtitutum ſcimus.

EPICRISIS.

Palam eſt ex hac hiſtoria, quam facile minor abſceſſus ex neglecta inciſione in fiſtulam abire poſſit, & quam facile haemorrhoidarii ambobus hiſce malis ſint expoſiti.

OBSERVATIO X.

Scirrhus.

URbis huiatis civis quidam, temperamenti atrabilarii iuvenis adhuc agebat veredarium cur-

ſorem tam ſtrenuum, ut perpeſſa ſaepius concuſſione largum experiretur fluxum haemorrhoum; nactus denique occaſionem matrimonii vix celebrabat nuptias; de tumore conquerebatur ani, ad fomenta iterum iterumque applicata tumor in abſceſſum collectus ſponte multum ſtillabat puris. Abſceſſus uti ſe ipſum evacuabat, ita ſe conſolidabat ipſum; pergunt ſubin fluere haemorrhoides, nihil inde mali ſomniat veredarius, interum ſex abeunt anni, & ecce! tumor redit prior, iterum pus ſtillat ex vulnere fiſtuloſo. Enimvero tum patiens perpetui huius materiae purulentae fluxus impatiens vocat Chirurgum: huius & conſilium & auxilium implorat. Hic quo neſcio unguento certam ſe malo huic medelam allaturum pollicetur verbis tamen magis, quam herbis. Spe ſua fruſtratus patiens & effectu deſtitutus fortiorem a Chirurgo poſtulat operam. Unguento iterum demulſus omnipotenti annum finit praeterire, & tempus operationi opportunum, denique pertaeſus, an non malum cultello poſſit reſcindi, quaeritat ſaepius: Chirurgus nomine indignus nullam ex operatione ſalutem, imo impoſſibilem fiſtulae extirpationem, & mortem praeſentiſſimam auguratur, a ſuo tantum unguentum a Jove invento & elaborato fontem hunc purulentum exſiccandum, & obturandum elato ſupercilio mira corporis potius quam verborum gravita-

ſe vaticinatur encomiaſtes. Anni abierunt quatuordecim, verbis ſemper demulcebat os patientis, non unguento fiſtulam: ſcirrhus medium occupat inteſtini recti lumen, aeger affigitur lecto per annum medium ex febre lenta, cum die increſcit ſcirrhus, totum obturat lumen, fit tabes. A medico nunc foro requiritur auxilium; vocor ego, ſedem inſpicio mali, Chirurgiae Profeſſor, Praeſes mihi Colendiſſimus D. SIEBOLD ni poſſit mederi malo, repono, nemo poterit Medicorum illum adduco, totum inteſtinum videt ſcirrhoſum, procraſtinatam nimis dicit operationem, execratur Chirurgi ignorantiam, patienti ſuam praeſagit mortem aruſpex non vanus. Scirrhus degenerabat in cancrum, ſequebatur copioſa materiae inchoroſae collectio, hanc effuſio, febre tandem hectica & diarrhaea colliquativa exhauſtus inter millenas de Chirurgi ſui domeſtici aut potius latronis ignorantia querelas extremo ſuccubuit fato. Vixit ille, vivit adhuc alter Chirurgiae opprobrium, cui ego vellem ſuſurrare in aurem, ut abiecta in unguentum ſuum fiducia ſuaderet ſaltem poſthac operationem, cum manus habeat in Chirurgia adeo hoſpites adeo peregrinas.

EPICRISIS.

En hiſtoriam cuiuſdam ex fiſtula & ſcirrho inteſtini recti defuncti, qui triſte morbi huius

exemplum & teſtis veritatis illius erat; quod in Paragrapho noſtro de ſcirrhoſitate huius inteſtini diximus, id quod Clariſſimus de HAEN typis evulgavit, inter cauſſas haemorrhoidum procatarticas equitationem recenſendo. Oſtendit haec hiſtoria, quam infelices ſint illi, qui id, quod optimum in vita habent, ſanitatem putamus, empyricis, artis principia ignorantibus e patria merito expellendis hominibus, nomine Medicorum & Chirurgorum, quod impune gerunt, tam ſacro penitus indigni confidant. Patet ex illa, quam facile malum operatione curabile, diſſuaſu id genus latronum tandem fiat lethale. Silemus plura, iramque noſtram, quae nervos concutit omnes, compeſcimus, cum ſterilis & vana in cauſſa hac mutanda ſit permanſura.

OBSERVATIO XI.

Vir quidam proſapia nobiliore oriundus 69. annorum, haemorrhoidibus caecis in iuvenili aetate ad hunc uſque diem, quem numerat, vexatus fuit interdum, & iam fluentibus, per annum integrum de tuberculis iuxta anum duricribus & propendentibus cum materiae ichoroſae & ſanguinae fluxu conquerebatur; variorum pſeudochirurgorum, tum agyrtarum & ſimilium conſilio

ſilio & auxilio, aſt irrito cum effectu uſus fuit; quorum aliqui, ut quid feciſſe viderentur, quaſdam propendentes excreſcentias ſive condylomata tum ligatura tum cultello extirparunt, illis mox iterum renaſcentibus. Chirurgiae Magiſter alius quidam fuit accerſitus, hic nobilem aegrotum decumbentem, macilentum & viribus exhauſtum cum pulſu debili & intermittente, ſceleto ſimilem deprehendebat inſpiciendo; partem affectam digitis examinans 1. materiem tenuem, atram & ſumme foetitam ex inteſtino recto ſponte & copioſe profluere videbat; tertia pars diametri erat indurata & ſcirrhoſa, & lumen ani tam arctum, ut minimus digitus vix poſſet introduci. Quaedam ad latera inteſtini recti tum ex-tum interne aderant excreſcentiae, cum totus inteſtini huius margo ad intra verſus os coccygis moveretur tumoris cyſticis adinſtar penduli, volumen pondusque ſentiebatur, ex quo nihil aliud niſi ſcirrhus poterat concludi, qui ſphincterem cum internum quam externum tunicaſque inteſtini recti occuparet; ſpectato miſerrimo aegroti ſtatu & conſiderata eius aetate, non neglectis ſymptomatibus ſupra memoratis hic ultimo accerſitus Medico-Chirurgus rem aegroti deſperatam praedicebat, quam mortem a limine graſſantem aegroti exſpectare nihil eſſe certius, vates erat non vanus, vix enim abibat menſis, & anima eius ad plures abibat.

EPICRISIS.

Aliud ſcirrhi habemus exemplum, & ni fallor, ex negligentia aegroti, ex ignorantia admotorum Chirurgorum aut hominum temere rem Medicam & Chirurgicam exercentium orti; ſupremum ſane conſilium erat, in lamentabili hoc ſtatu manum abſtinere de tabula: ita enim honori artis & artificis parcebatur, & dies aegroti prae morte tamen chariores prolongabantur.

OBSERVATIO XII.

Condylomata, Puſtulae.

VIr temperamenti ſanguineo-colerici vigeſimum octavum agens annum per contactum venereum in membro contraxit ulcera venerea, glandem & praeputium corrodentia; haec applicatione unguenti mercurialis ſanavit: aſt brevi poſt intra inteſtinum rectum, praecipue in alvi depoſitione, urentes & acutos ſentiebat dolores, & ſanguinem faecibus admiſſum obſervavit ipſe patiens, cui ſub excretione corpus aliquod extraneum in inteſtino latere videbatur. Id quod rei medicae perito hunc in finem confidebat, ut brevi ab hoc malo ad omnes inteſtini recti dilatationes &

contractiones ipſi moleſto liberaretur. Hic digito oleo madido & per anum in cavum recti inducto egregiam reperiebat excreſcentiam carneam, quae ad tactum dolebat graviter. Hanc luis venereae, & exſiccati glandis venerei ulceris effectum eſſe iudicavit, huic digito unguento neapolitano immerſo, & introducto immediate huic excreſcentiae hoc unguentum tribus circiter vicibus adplicavit, & diſparuit illa ad votum patientis.

EPICRISIS.

Habes hic, B. L. exemplum condylomatum ac puſtularum venerearum, internam inteſtini recti tunicam obſidentium, & obſervationem, quam facile huius generis mala topicae ſpecifici unguenti applicationi cedant. Cum maſſa autem ſpecificis remediis internis nondum fuerit emendata, iterum ulceribus afficiebatur praeputium novis, quae cura mercuriali tandem perfecte abſque ulla curata fuerunt recidiva. Venus ultimum in obſervationibus noſtris habuit locum, modo nullum omnino in animis omnium haberet, vellemus & optaremus, ita enim & nobis eſſet obſervationum de lue venerea.

AUGUSTI FRIDERICI WALTHER

PROF. LIPSIENSIS

DISSERTATIO

DE

OBESIS ET VORACIBUS

EORUMQUE VITAE INCOMMODIS AC MORBIS.

Lipſiae 1734.

§. I.

Si Medici morbis adnumerare ſenium addubitant, nec languorem corporis, nec maciem, quam fert aetas, temere curare medicamentis ſuſcipiunt; nos ex obeſitate & voracitate infirmorum quodammodo hominum, neque vere aegrotantium, quaedam perſtringere incommoda, ſed ex morborum numero praeſagire graviora, denique pro utriſque, aut temperandis, aut avertendis adferre conſilia, tractatione adnitemur. Qua de re explicatius ut agatur, duo ob oculos animumque verſari aſſidue debent, quorum unum vulgaris

craſſorum hominum obtutus, aut rudis demortuorum corporum ſectio docuit, alterum vero non niſi curatior humanorum cadaverum anatome comprobavit, nec tamen penitus, & ita perfecit, ut plures, qui de obeſis ſubinde ſcripſerunt, neque reliquiſſent, quod alii quoque ſcrupuloſius perveſtigarent. Tam quidem generalis eſt ille de craſſitudine mollium humani corporis partium conceptus, & tam promte ex ea perinde, ac voracitate ad praeſentes futuraſque vitae moleſtias concluditur, ut minime dubitemus, aut vitio alios nobis verſuros, aut ſupervacuum laborem plures reputaturos eſſe, quod trita nimis ac pervulgata, nec ingenioſa diſputare ſibi videamur. Verum, nos ea, quae vulgo innotuerunt, cum illis, quae maiorem quodammodo rerum notitiam & exercitationem teſtantur, hoc minus miſcere veremur, quo quidem magis diſcrete de reconditis & nobilioribus humani corporis partibus, ut in obeſis iam ſtrenue rem ſuam agunt, iam aegre vitae labores ſuſtinent, inter alia dicturi ſumus.

§. II.

Atque proſpera valetudine obeſi communiter utuntur, donec ſpiritum ſine faucium & pectoris incommodo ducunt; ut etiam ab his organis

ordiri, deinde vero ad alia expoſitione tranſire haud dubitemus. Primum vero in faucibus linguae radicis, & oris, quae huc deducitur membrana, validum epiglottidis frenum productione geminata facit, ut neque ita hoc glottidis operculum rectore muſculo epiglottidaeo, ab aliis quidem ſcriptoribus non tam viſo, quam audacius ficto, egere hae parte ſoleat. Deinde vero prior epiglottidis facies duobus quoque lateralibus vinculis, quantum expedit, confirmatur; ſcilicet, cum utrinque membrana oris etiam ab pharyngo-ſtaphylini muſculi involucro, ſed porro ab oſſe hyoidaeo, ac valente ſpecie ligamenti, modice quidem tollitur, ut ita epiglottis intra fauces erecta, veluti in parabolici & ligamentoſi ſinus medio, ac vertice reſideat. Verum ab altera oppoſitaque epiglottidis facie, ipſa aliter devincitur & dirigitur. Nam illa faucium membrana huc poſteriori loco latioris ſpecie ligamenti conſurgit, & baſin epiglottidis ab latere, deinde vero ſubrectae arytaenoidaeae cartilaginis caput, partemque maiorem iungit & tegit, ſimul ſingularem, laxioremque & ſuperiorem glottidem ſtruit, dum interim alterum teres, ac tendinoſum quidem factum ligamentum mediam thyroidaeae cartilaginis partem, hinc baſin ſedemque arytaenoidaeae oppoſitae cartilaginis validius connectit. Quod modo retulimus

Digitized by Google

ſtrictum prae iſto, & melioris notae vinculum, vere illam glottidem, quam laryngis rimam vulgo dicunt, conſtituit, quaſi id ligamentum iſoſcelis trianguli latus, quod intra laryngem eminet, utrinque efficeret, cuius poſterior baſis circiter quadruplo minor prae alterutro crure viſitur. Patet ſub limbo quodam interno, amplioris iſtius turgidique viſi vinculi, ſcilicet, inter hunc limbum & iſtud teres ligamentum ad quemdam cuniculum acceſſus, quem GALENI ventriculum hodie vocant. Quod aeris mucique membranoſum diverticulum parte muſculi, thyraeo-arytaenoidaei dicti veſtitur, qualis nihilo minus haud deſinit in arytaenoidaeam cartilaginem, ſicut pars inferior, alteraque muſculi nihilo minus fecerat, cum haec quodammodo ſuper crico-arytaenoidaeum muſculum lateralem deſcenderet, & ab latere externo, in baſi, deinde etiam in facie interna arytaenoidaeae cartilaginis haberet finem. Nam iſta pars muſculi, qui ad medium fere locum cartilaginis ſcutiformis naſcitur, haud ſine flexus nota ſuper ventriculum illum, faciemque internam lati iſtius ligamenti, & partim ſub arytaenoidaea glandula adrepere, ac praecipue baſin epiglottidis iungere obſervatur; etiamſi veluti intermediam, tertiamque thyraeo-artynoidaei muſculi partem interdum aryo-epiglottidaei faſciculi aliter diſcernere iubeant, ſicut in *obſerv.*

novis de Muſculis, & *Anatome repetita* denuo nos demonſtravimus. Quare aryo-epiglottidaei muſculi, ſub numero licet faſcicullorum diverſo, in variis quidem ſubiectis viſo, ſed fere iuxta limbum lati illius vinculi, & porro ſub ipſo reliquo hoc capituli arytaenoidaeae cartilaginis & epiglottidis ligamento ab una parte ad alteram ferunt, unde nomen habent; & nos plerumque tum ab arytaenoidaeae latere, duos quidem eius generis proveniſſe faſciculos, totidem vero alios, decuſſantium ſic dictorum more, aut ex capitulo, aut aliter, & ex inferiori ſede nexuque, cricoidaeae & oppoſitae arytaenoidaeae, aut denique ex utroque loco proceſſiſſe: omnes vero ſemper ad baſeos latus epiglottidis properaſſe obſervavimus. Sub illo lato epiglottidis ligamento, quod iterum nominavimus, ſed priori loco, deinde vero ſub propinqua faucium ſuperficie, & tunicae locis adiacentibus, porro ſub baſi epiglottidis, denique poſt, muſculum hyothyroidaeum glandula habet ſedem, & pulvinaris inſtar glanduloſi ſupponitur, quam arytaenoidaeam Cl. MORGAGNUS vocavit. Quanquam vero inter haec, quae modo diximus, alia regere epiglottidem, alia ſuſtinere & connectere eandem videantur: nihilominus ita tantum laxius, & quidem membranis linguae & cartilaginis ſcutiformis, oſſiſque hyoidaei ea illigatur, ut

Cl. WINSLOW declarat Tr. de capite n. 431. 438. 439. ſed ſecus devincitur, quam ut tuto conſiſtere ſub variis vitae occaſionibus, praeſertim aptius ut tolli demittique iterum in deglutitione poſſit ; niſi provida quidem natura, ex inferiori mediaque baſi natum anguſtum, & cartilagino-ſum, acuminatumqne proceſſum, etiam ultra ex-ciſam ſcutiformem ab ipſa epiglottide deduxiſſet, eandemque ad locum ſupra glottidem, inter utrumque tum GALENI ventriculum, tum vero muſculum utrumque thyreo-arytaenoidaeum, bre-vis, & firmi, tendinoſique ligamenti ope ita ad-ſtrinxiſſet, ut in quacunque deglutitione, & in-ter plures conatus illa cum reliquo larynge & aſpera arteria perfectius tolleretur, ſed ut ita cum oſſe hyoidaeo, tum fere immoto, ſcutum magis committeretur, & collideretur ; ſimul ve-ro, ut tota deinde baſis ipſius epiglottidis, om-niſque eius nexus ſatis laxus eſſet, ac denique muſculis ſe totam depreſſuris haec epiglottis ob-ſequeretur.

§. III.

Quem nos partium laryngis mobilium & connexorum poſitum rimari ſcrupuloſius, & hoc percenſere loco voluimus, quod minus clare haec verbis perſecuti plerique ſcriptores fuerint ; licet

ſpecialis doctrina ad declarandam deglutitionem, perinde, ac differentias vocis exponendas, imo ad explicanda vitae commoda, incommodaque & pericula morborum plura, ſed ſigillatim ad praeſens inſtitutum recte exequendum faciat. Nam aptiorem cartilaginum laryngis formam, ac poſitum, & alia vulgo nota eſſe, modo praeſumimus; deinde vero pharyngis connexi muſculos, & omnium ordinem nos alio tempore tam luculenter exhibuimus, ut cunctorum repetitione modo ſuperſedere velimus. Tantum celluloſum opus, quod ſub linguae ſede haberi, & ad fauces excurrere, ſimul ad fiſtulam tum aſperam ſpiritalem, tum molliorem cibalem devenire, imo tunicis canalis alimentorum totius porro interponi *Tract. de lingua humana novis ſalivae fontibus irrigua*, & *Diſſert. de Inteſtinorum anguſtia* ſignificavimus, id iam quidem prorſus ſilentio praetereundum non erit. Nam id ipſum crebrius in obeſis & mobilioribus laryngis quidem eorum ſedibus, quas ante deſcripſimus, pro modo ſuo praepingue redditur, & ita ſecus accidit, atque fere in pharyngis potiore parte, deinde in gula, & reliquo canali alimentorum fieri anatome deprehenditur. Igitur pinguedo facile ſub lato arytaenoidaeae utriuſque vinculo & tegmine, deinde ſuper thyreo-arytaenoidaeo muſculo, ventriculoque GALENI, atque porro circum

arytaenoidaeam glandulam uberius colligitur, ipſumque ſuperiorem hiatum arytaenoidaearum cartilaginum magis, quam inferiorem veramque glottidem urgere & afficere ſolet. Cuius modicum magis in aliis, deinde vero plurimum in eunuchis, & illis, qui muliebri ex otio maiorem olei, facileque figendi copiam ſibi acquirunt, videtur, his locis reſidere: cum ſaltem clariorem vocem, & inde magis acutam ex ſtrictiori glottide reddunt. Nam claram acutamque ad vocem edendam proxime requiri opinamur, ut per muſculos ſtylo-hyoidaeos, genio-hyoidaeos, & mylo-hyoidaeos tam os ipſum linguale tollatur, quam producatur, ſimul vero ut ope hyo-thyroidaeorum muſculorum cartilago ſcutiformis hunc motum ſequatur, & cartilago cricoidaea eodem tempore, ac muſculorum opera crico-thyroideorum ad ſcutiformem adigatur, quo ita geminata glottis, quam paragrapho praecedente diximus, una parte magis utrinque conniveat, altera vero mobiliori, & ſuperiore muſculis arctetur, quales aryotaenoidaeas cartilagines ſtringunt. Quam alii vocem conſonam edunt: alii vero, & quorum thyreo-arytaenoidaei praecipue muſculi obſeſſi gravius pinguedine ſunt, contra maiori quoque conatu, aut tono minorem, aut raucam & diſſonam reddunt: quo magis ab aequalitate interna ſuperficies geminatae, ſtringendaeque glottidis recedit,

& ita viribus ſubinde inaequalibus praecipue thyraeo-arytaenoidaei laudati muſculi movendi munere defunguntur. Ex quo colligere facile eſt, quid pinguitudo modica his ſedibus ad acuendam, ſed aliter, in praepinguibus cum abundaverit, ad magis mutilandam vocem ferat. Nam aliter quoque vox purior halitu pingui iuvatur, quo glottis lubricatur, ſed aliter hoc magis laeditur, quo maiore ſqualore anguſtae plenaeque fauces crebro ſcatent, & veluti cum voce edita continuo excutere viſcum conantur. Tandem, & prae nimia obeſitate, non minus, quam aliis quoque occaſionibus, & ab infirmis nervis fieri ſolet, ut immotae aliquando arytaenoidaeae cartilagines, ſtupidique earum muſculi fiant; hinc vero ut iners magis iam viſa ſuperior ligamentoſa glottis diſtentionem, & vibrationem ſui atque cartilaginum porro haud admittat, quanta vibratio nihilo minus obſcuram vocem ab clare edita ceteroquin diſcerni facit.

§. IV.

In pectore dextrum pleurae involucrum ab ſiniſtro, ſed ita magnitudine nonnihil diſpar viſum, utrumque Anatomici diſtinguunt; etiamſi utrumque medio loco congrediatur, ac ſeptum, quod ante & poſt pericardium eſt, id ita fingat. Quare pleura tum vaſa, quae dorſi vertebris at-

tenſa habentur integit ; & utrinque procedit ; tum pericardio adnaſcitur , & poſterius utriuſque cavitatis pectoris ſepimentum ſtruit , cum tunicam celluloſam complectitur , quale demum celluloſam opus in duplicatura , quae fit , ubi ab pericardio utrinque pleura anterius recedit , denuo augetur , & ampliſſimum in primis in obeſis ſub oſſe ſterni occupat locum . Id ita craſſeſcens mediaſtinum pericardio , ab ſe ſuſtinendo ſecundum longitudinem plantari videtur ; & ſicuti cor , ſuo mucrone , & ex poſteriori ſede nonnihil antrorſum & ſiniſtrorſum producitur , ita cordis idem involucrum ſuperius cum baſi cordis ab ſterno magis diſtat , donec in pectoris ſupremi confiniis ipſum pericardium his locis obvia nobiliora vaſa obſepiat . Quod cum ita fieri animadvertitur , tum pleura celluloſo ſuo contextu vaſa laudata , nervorumque plexus , ſed & aſperae arteriae principes ramos , ac plura contegit : magis vero in obeſis cuncta irretit , ut etiam tot partes , locaque , quae modo diximus , prae ceteris ad ſuſcipiendam copioſiorem pinguedinis molem idonea ſint . Nihilo minus , ubi pericardium , quod iuxta vaſa mediaſtina & diaphragmatica pinguibus quoque tractibus notatur , cum diaphragmate , ampliſſima quidem ſede cohaeret , tum non minus circum hunc locum , praecipue in obeſis , mediaſtini pinguitudinis continuatur &

Digitized by Google

accumulatur moles; ſed inter haec etiam accidit, ut cor humanum multa pinguedine onuſtum fiat; quippe quae viſceris ſuperficiem, iuxta vaſa propria, latis admodum tractibus adipoſis coronat, nec raro communes cordis arterias magis, quam venas incruſtat.

§. V.

In abdomine autem peritonaeum multae pinguedinis in obeſis ferax eſt. Nam inter alia cum ipſis umbilicalibus ſic dictis ligamentis, ſub priori diaphragmatis loco, deinde ſub recto utroquem muſculo veluti adrepere adipoſi inſignes tractus, ſaepe adipis fruſta videntur; & ex his ligamentis illud, quod ad hepar divertit, mox ligamentum aliud, iungit, quod ab diaphragmate ad idem viſcus demittitur, deinde vero ex pingui praeter modum viſa hepatis cava, ſinuoſaque ſede provenit, & ita praepingue viſum iam in anatome difficilem aditum ad retegendum vaſa facit, qualia GLISSONII capſula comprehenduntur. Ab loco in utramque cum ſuperiorem plagam, tum in inferiorem partem continuari uberior pinguedo viſitur; & haec in obeſi cadavere multum negotii Anatomico parit, ſin ille plexus nervorum ſtomachicos, deinde vero vaſa gaſtrica ſanguifera ſuperiora, quippe parvo omento, iam adipoſo

nimis facto penitus merſa, perveſtigare voluerit; neque tamen porro, inferiori quoque loco, lanceola, inter alia ad meſeraïcum ſuperiorem plexum retegendum, ſine taedio tum adhibetur. Augetur de novo labor, cum ſub dexteriori rerum connexarum angulo, & quidem ſub omenti atque procedentis inteſtini coli, deinde vero ſtomachi & hepatis accedentis nexu, vel cholidochus ductus exquiritur, vel alia cognoſci debent; imo vero totum omentum, tum adipoſum praeter modum atque ponderoſum, etiam ſplenem inter atque ſtomachum eſſe obſervatur. Quae fere loca, ubi inciſum anatomen abdomen eſt, illico obvia habentur, atque taedii plenum laborem Anatomici futurum eſſe pariter praenuntiant, cum paſſim ingentia adipoſa fruſta cultro moleſte occurrunt, ſicut viventis diaphragmati, inter aſſiduos motus, & alias functiones haec ita olim obſtiterunt. Non facile tunicam, ſed adipoſam molem in obeſis obductionem renalem nominabis. Quae ab peritonaeo accipitur, & utrinque in fines diaphragmatis incumbit, hinc ad ortam procedit, eamque occultat, ut inde in circulum cum coeliaca arteria, & quidem ad loca, quae ante diximus, redire, ſed cum arteria meſeraica, & ipſius meſenterii principio aliter inſinuari, & longe lateque per omne meſenterium proferri ipſa largior pinguedo poſſit. Hinc facile patet,

Digitized by Google

ſicut tam ab meſenterii parte, quam ab aortae loco, quo inferior arteria meſeraica exit, uberrima pinguedo etiam peragrare partem meſocoli ſoleat. Sed inter haec accidit, ut arteriae prae venis fere ubivis pinguedine abſcondantur, deinde, ut lumbi, & ilia, inguinaque adipe incruſtentur, atque turgeant. De pelvi tandem conſtat, eam obduci craſſiſſimo & adipoſo peritonaeo, aegerrimeque vaſa tum retegi anatome, & in hoc ſinu explicari. Inter haec, quae modo propoſuimus, fere ea pars meſocoli ſingularem mentis attentionem meretur, ubi nec in ſumme obeſis hac ſui parte cum pinguiſſimo ſe comparari meſenterio patitur, cum nempe in orbis modum divertit, ac coli inteſtini partem magnam iungit, ſed ſtomacho ſubiicitur; quaſi vero continuatus eius viſceris motus collectionem tantam pinguedinis quodammodo prohibeat, ut potius inteſtinum, hoc loco ex proprio habitu, quam ab meſcolo deducto adipe, pingueſcere videatur; ſicut fere ex adpendicibus inteſtini adipoſis id ita porro patet. Praetermittimus iam oppreſſum pinguedine, & conditum utrumque coli inteſtini angulum, flexumque eius tam in dextro, quam ſiniſtro hypochondrio obeſorum viſum; nec verbis attingimus adipoſas veluti ramificationes, quanta ſanguifera viſcerum quoque vaſa externa comitantur, ſicut & inter alia, pingues

prae-

praeter modum ſaepiſſime viſos; in ſtomacho & inteſtinis tractus ſilentio iam praeterimus: nam cuncta infimi ventris viſcera, quoad cum peritonaei membrana communicaverunt, pariter, de pinguedine, & abunde quidem participare in obeſis ſolent.

§. VI.

Verum, quot locis ex utraque cavitate, & ad externas ſedes vaſa, in primis arterioſa, ſimul maioris notae nervoſa concedunt, tot quoque communiones cum internae, tum externae corporis pinguedinis habentur; ut haec pariter pinguedo ad connectendum & involvendum magnos glandularum tractus, quos hac occaſione ſubinde conſequitur, non tam ſufficiat, quam in obeſis abundet. Pervulgata ſunt, ſub aliis axillarium vaſorum, & ſuper femora cruralium deductorum exempla, imo conſtans in utroque genere externorum, ac notabiliorum vaſorum obſervatio eſt, ut vel faſces minorum ramorum, perinde, ac maiorum truncorum, etiam in artubus extremis veluti pinguedine obeſorum ſepeliantur. Sigillatim ab utraque parte, qua pyramidalis muſculus ab oſſe ſacro diſcedit, notabilis arteria, venaque ſingula, protinus quidem bipartita, comitem iſchiatici, maximique corpo-

ris nervi ſe praebet ; & tales illico inter propinquos, & plures ad femur, conſitos muſculos, ramis diffunduntur ; ſed haec vaſa ſuo ex pelvi exceſſu, ſub ilii, iſchiique oſſium angulo occaſionem abunde praebent, ut copioſior pinguedo, ita maior quidem in obeſis viſa, ſcilicet ſupra ligamentum, quod tuber iſchii acutum, & os ſacrum iungit, ita denique ſuper levatoris magni muſculi confinia, ſimul educatur. De ſociis vaſis atque pinguedine in poplite, & aliis articulationibus inſignioribus nos modo tacemus. Ceterum neminem latet, quam varia adipoſi, & ſubcutanei panniculi, etiam diverſis in externis locis craſſitudo habeatur, quantaque ipſius moles abdomini, ſaepe etiam pectori immineat, aut praefigatur, denique vel vulgo ingreſſus plurimi innotuerunt, quos ſibi paſſim, in toto ambitu corporis, & in muſculorum intervallis, in primis vero in obeſis celluloſum parat opus, quod ab tunica adipoſa & vaſis continuatur ; nedum, ut ſeorſim de illa parte, quae colli irretit glandulas, quales longa ſerie & oblique inter muſculos ab capite ad uſque alas deducuntur, aut de aliis locis externis, & exemplis, iam plura nos tradamus. Tam quidem univerſe provida natura opus celluloſum, & quidem optato, ſive carnium faſciculus, ſive tunicarum

ſtratis, & cavitatum tegumentis tribuit ac diſſeminavit, ſed porro externo quoque ambitu largiſſime corpus eodem adipoſo veſtivit, ut omnium inde ſalutaris ubivis fotus, & praeſtans agendorum flexus ſecundum naturam eſſet. Quod celluloſum opus, ſive intimis viſceribus reſideat, ſive panniculi nomine externi & adipoſi ſalutetur, nos modo ad unum genus revocamus, & tanquam ſubiectum tractationis noſtrae, quippe animalis olei in obeſis capaciſſimum declaramus.

§. VII.

Optavimus ſaepius, quoties ſcientiae naturalis periti de animalium elementis fluidorum agunt, qualia cum externis notabilem quidem ſimilitudinem habere ſolent, ut illi nihilominus de admodum mutatis intra animalia cum maiori diſcrimine loquerentur. Inter eas vero corporis humani fluidorum partes admixtas, quae motu ſuo, ac rotundiore forma, hinc indole actuoſa commendantur, quaſi vero ſicut aethereae externae ad inflammationem ceteroquin corpora naturalia diſponunt, vel ad eam ſaltem promte aquirendam oleorum more diſponuntur, hinc quodam iure ſulphureae etiam audiant, eminet animalis ille aether, qui inter alia nervos praecipue inhabitare ſolet. Inde vero in elementorum

numero ſanguinis ſequitur ſpiſſius oleum, illi lactis puriori ſimile, & eſt deinde ſanguinis purpureorum globulorum balſamum ab his denuo diſtinguendum; hinc fortaſſis continuo nata, ſed magis compoſita bilis, denique magis iners fibroſa pars ad cognitorum elementorum numerum non immerito additur. Inter haec combinata, vel combinanda, ſeroque ſalſo innatantia, ac provehenda, certe balſamum eſt, quod vim alia irretiendi, utcunque licet, ipſum dividatur, vix deponit; ut proinde reliquorum veluti mater tum eſſe videatur, cum illa fovet, aut certe plurium ſuccorum proventum in oeconomia animali magnopere iuvat. Pars eius ſolutior favillae in modum aqua innatat, cum in vas plenum ſanguis e naribus decidit & ſtillat, aut cum ita aliter ex vena ſecta proſiliens excipitur cruor; ſed globulos ſero natantes, & ex ſe factos, in arteriis, veniſque piſcium caudarum, vel ranarum pedum, experimento armati oculi vident; quandoquidem admodum id balſamum cum alio vegetabili comparatur, quod minori quaſſatione aquam & alia intra loculos & globulos, qui hinc fiunt, largiter recipere valet. Clarius rem docet ſequens coſmetici linimenti praeparatio. Accipe circiter decem guttas opobalſami, miſceas cum quintuplo circiter amygdalarum olei, hinc addas drachmam aquae unam,

& his ita mixtis omnibus, quaſſatiſque cum cavo ſpecillo, brevi diſparebit aqua, quae nunc linimento denſae ſpumae ſimili, licet ſuper igne denuo diffluente, intra loculos globuloſque recepta erit. Addas ſucceſſive alteram, imo tertiam, & pro puritate opobalſami, vel quartam aquae drachmam, & tantam copiam aquae hoc pauco nihilominus balſamo irretiri, & recipi tandem miraberis. Atque coeptae quaecunque in minimo embryone diverſorum humorum, vel tantum halituum ſecretiones, ac divina penitus ſapientia, tum quoad ſuccorum indolem, tum quoad minimarum viarum diametros, imo quoad omnem accipiendi, velut attrahendi, denuoque mittendi virtutem, determinata fuerunt, eae omnes ſub vitam faciendi habitu comprehenduntur, & quovis incremento corporis immutatae fiunt. Si igitur habitui vivendi, ſi deinde ſummae aptitudini viſcerum & vaſorum, ſi denique omnium diverſorum ſuccorum exoptatiſſimo promtuario, ſanguinis puta laudatiſſimae globulorum craſi, quid dandum fuerit, certe pingues partes pinguibus ſecundum naturae legem, & propriis quidem viis eſſe ſucceſſuras arbitramur; quo magis facile ab cruoris balſamo, quale continuo nutritur a & veluti abundantes, ſed motu depurati globuli, quale pinguibus locis haerent, fieri ac recedere poterunt. Tantum perinde res erit, ſive in o pe-

re celluloſo , quippe ad ſuſcipiendum id oleum apto, & ad largius pro re nata retinendum pariter idoneo , hanc pinguem materiam per poros arteriarum , ſaepe pinguitudine ſepultarum ſuadere quis contenderit , ſive alter e vaſorum tenerrimis penicillis eam promi voluerit , ſive denique tertius e glandulis ipſam excerni defenderit . In huius quidem generis controverſia vereor , ne incomparabilis Medicus BOERHAAVEN, cum glandulas in phyſiologia adverſus RUYSCHIUM defenderet , aut poſt longiorem diſceptationem tandem cum hocce Anatomico concilietur , & conveniat , aut aliter ne iſte nimis univerſe glandulas pro ſecernendi officio ſtabilire pluribus videatur . Nam de celluloſo opere quovis interno, aut ſubcutaneo externo , nos praeter audaciae crimen affirmare poſſumus , illud ſaltem magis deſtinari inter alia tranſitui vaſorum , quam intra ſe locandis RUYSCHII aut penicillis, aut MALPIGHII glandulis , quales animale oleum ſecernant : & nos *diſſert. de anguſtia inteſtinorum* experimentis ſuffulti exemplum dedimus , ſcilicet interni inteſtinorum celluloſi contextus , & vacui quidem ab omnibus arte cognoſcendis illis penicillis , aut glanduloſis vaſorum glomis: nihilo minus halitum pinguem, hinc diſpoſitionem ad pingueſcendum , neque huic contextui quis facile denegabit , quam ſaltem in inteſtinis continuatus

periſtalticus motus tantum coercere non ſolet: Neque vero univerſe colligendae pinguedini tam illarum machinularum adparatus, ſive in internis ſedibus, ſive externis corporis humani locis, quam potius utcunque obvium ſpatium, & ab fortiore compreſſu liberum ſavere videtur.

§. VIII.

Atque recens nati, pro ſui corporis quidem modo fere pinguiores cenſentur, quam adultorum plurimi, etiamſi neque inter iſtos deſint, qui in hoc genere praerogativam prae aliis teneant. Sed generatim aetate tenera ſaepe turgidos pinguitudine inter lactandum quoque factos, poſtea nihilo minus, & quidem citius, aut ſerius, praeſertim ultimis infantiae annis, tenuiori habitu corporis eos videre licet. Quod ipſum in infantibus viſum nos concludere iubet, ſicut quoque in aetate maioribus plures animi aut corporis aegritudines, imo vehementior fames & tabes rem ulterius probant, non raro abſorberi, nec parce quidem venis per proprios poros, viaſque, idem oleum recipi, quod ante, & quidem ſub aliis conditionibus, per arterias largius ad loca pinguia concedebat. Atque nos hac tractatione non quidem prae pinguitudine prorſus monſtroſorum, ſimul morboſorum exempla homi-

num comprehendimus, quae inter puella eſt undecim annorum, pondere ſui corporis ducentarum librarum apud BARTHOLINUM *cent.* 3. *Hiſt.* 88. tamen neque fere inter reliquos NICOMACUM SMIRNAEUM omittimus, qui teſte GALENO *L.* 14. *Meth. Med. c.* 15. neque ſe movere, neque podicem tangere poterat. Sed potiſſimum de adultae, & conſtantis aetatis hominibus, imo ſenioribus verba facimus, quoad obeſi vel diu recte valent, vel tantum adhuc tolerabili viſo corporis incommodo, quod vix meretur morbi nomen, adficiuntur. Neque vero temperamentorum doctrina atque diſtinctio hanc tractationem magnopere declarat, quin potius ſi graciles noveris, deinde veluti ex improviſo pingues ipſos & obeſos factos cum videris, tum illa omnis ad ludibrium uſque infringitur, & fallit; etiamſi quodam iure ſanguinei, qui dicuntur, prae ceteris ad obeſitatem ſibi contrahendam proclives reputentur; ſcilicet, ubi in hunc finem vegetus calor nativus, deinde humoris copia inter alia requiritur. Sed maiorem omnino differentiam homines, qui ita craſſi fiunt; ſi invicem vel ſaltem vulgari obtutu recte comparentur, nobis ferunt. Nam alii mortales ipſa naturae, aliquando haereditaria bonitate craſſeſcunt; ſed alii non niſi ſub conditionibus adventitiis pingues & obeſi ſiunt, ſicut recte ob-

ſervavit HIERON. MERCURIALIS *Lib. de Decoratione cap. 7. de obeſitate*. Quare hac tractatione ea differentiae cognitio utilior eſſe videtur, cum in duplici hominum genere, alii tam procereae, quam brevioris ſtaturae obeſi, ſimul armoſi, atque praecipue valentibus nervis, deinde amplius tum vaſis ac carnibus, tum oſſibus ſunt fulti & inſtructi, contra, cum alii occurrunt obeſi, qui pingui licet tenti omaſo ſint, tamen pectus anguſtum, carnes vero, & nervos, & reliqua vaſa atque oſſa tenuiora habent. Quos omnes hoc noſtro diſſertationis argumento comprehendimus, & quidem alios voraces, ſed alios moderatos, & ſobrie viventes denuo diſtinguimus, de iſtis praecipue dicturi. Quam ob rem hoc doctrinae genere haud expendimus, quae morboſum appetitum reddunt, ſiquidem haec inter multa ſunt, qualia potius obeſitati inferendae, & augendae adverſari ſolent. Nam, praeter omnem morboſum ſtomachi ſtimulum, etiam in ſanis amplitudo viſceris, copioſius humor, & carnoſae ſubſtantiae eius partis ſingularis virtus, inter plures aliarum quoque partium bonitatis nativae convenientiſque notas, appetitum valde augent, unde maior etiam ingurgitatio ſuſtinetur; imo vero dandum in hoc quoque genere quidpiam ingerendi conſuetudini eſſe, iure praeſumimus. Quod vero omnibus, ſub tanto

appetitu & alimentorum acceptione bonum naturae, & gratum pleriſque eſt viſum, id ipſum ſicut ex abuſu, & aliter, in utroque illo obeſorum genere potius animalem oeconomiam offendat, & laedat, id nos iam diſputare ſuſcepimus.

§. IX.

Quare pinguedinem ſuam voraces continuo nutriunt, neque ſolum mollioribus cibis, ut iuniorum carnibus animantium, deinde lacticiniis, & farinaceis, porro pulpoſis, ac ſucculentis, denique pinguibus, & oleoſis, largiterque acceptis omnibus obeſitatem promovere videntur; ſed etiam acrium & aromaticorum, deinde vini meraci, & plurium ſpirituoſorum liquorum, ac liberalius quidem epotorum, veluti omnium adhibito ſtimulo illi confortati, aſſumptorum copiam digerunt, imo duriora alimenta conficiunt, ac terrae tubera radunt; ſed mobiliores partes, aucto ventriculi & inteſtinorum motu, ex omnibus eliciunt atque emulgent. Ex quo ſanguinis balſamum aetherearum & viſcoſarum partium miſtione intima augeri, hinc maſſam ſanguinis ad continuatam pinguium ſeceſſionem globulorum inter haec veluti compelli, & invitari, denique aptis ſedibus hos ſeparari liquet. Verum, vilioris quoque pretii cibo, potuque

alii voraces uſi, nihilo minus obeſi fiunt. Sicut neque quivis eorum ab infantia

Boletum condire, & eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,

IUVENALIS *satyr.* 24. hinc ſuapte bonitate viſcerum tenuiore victu, & moderato rerum uſu nonnulli pingueſcunt. Nam ſaginationem quoque iuvat animus pacatus, vix curis affectibuſque unquam movendus, ac turbandus, deinde vero etiam, quin diſpenſentur ſucci cavet, & viſcerum robur vitae principes functiones, ex voto, ac notabili quidem tempore integras ſervat; ſed obeſitatem tanquam ſanitatis exceſſum in dies auget. Etiam illae prae ceteris mulieres, quae crebrius delibant, praeſertim cum menſtrua purgatio ceſſare per aetatem ſolet, aut cum parere deſierunt, imo vero aliae, ob ſterilitatem craſſae praeter modum fiunt: nec tamen ſunt paucae, quae ex obeſitate, ſicut ex voracitate & otio ſterileſcunt. Nihilo minus univerſum corporis opus celluloſum, quod ſupra diximus, ut in quibuſcunque hominibus pingui materia impleatur, tum ſingularis quaedam & nativa eius requiri laxitas; videtur & hanc ita amplius definire verbis atque menſuris vix licet. Qua de cauſſa nihilo minus ſaepenumero accidit, ut alii, ſub athletico quoque vitae genere ſaginentur, & alii, qui ante tenui corpore praediti fuerunt,

iam poſtquam graviorem morbum ſuperarunt, vel matrimonium iniverunt, vel aerem, aut aquam ſalubriorem invenerunt, vel denique ubi aliter illi vitae genus mutarunt, demum pinguefcant: cum contra, quidquid etiam alii moliantur, quam pancratice lauteque epulentur, ac vivant: tamen ob ſtrictiorem illum habitum, gracilitatem corporis ipſi corrigere nequeunt. Denique omnem craſſitudinem aliarum quoque functionum humanarum, & ſecretionum liberalius exercitium arcere ſolet; ſed inter haec quoque venus eſt.

§. X.

Integrum iam nobis erit quaedam percenſere obeſorum vitae commoda; quod is ita comparatis doctrinam de incommodis, & futuris morbis quodammodo illuſtrari confidamus. Igitur modica quoque & externa pinguedo hominem ab iniuriis, quas frigus adfert, deinde ab aliis, quas ſalium acrimoniae adſcribunt, hinc ad rugis, turpibuſque in corporis habitu inaequalitatibus, imo vero ab tabe ſubinde defendit, denique muſculos, atque alias internas partes & ipſa oſſa lubricat, omnemque flexum & motum facilem reddit & expeditum. Ex quo praepingues & obeſi, quotquot armoſi robuſtique vocantur, molliter diſcumbunt, aut recubant ac corpus

volvunt, ubique tumentes attaćtu, ventroſi, mammoſique, & aliter molles, homines viſi. Quae quidem in iuvenili, conſtanteque aetate, imo porro, partim grata, partim hoc tolerabiliora, cum facili ſudore habentur, quo minus fere monſtroſa facta ipſorum moles & forma eſt. Nam in annoſioribus plurimum abeſt, ut plus grati commodique obeſitas ferat, ut potius incommodorum plurium, cum aetate ſenili numerus inde, & ab eodem augeatur, quo ſibi homines olim vehementer placebant. Igitur aetate perinde, ac robore confirmatorum iſtorum hominum, praeſertim VITELLIONIS gulae haeredum, tum appetitus inſignis, tum quoque ad aliorum invidiam facilis, ſine omni ſaepiſſime delectu acceptorum quorumcunque ciborum digeſtio eſt. Tam illi guſtationi, miſſibuſque primae coenae pares, quam in ſecunda menſa voraces, & expeditos ſe praebent, & inter ientacula, prandia, coenas, ac comeſſationes ipſos videre, & horum appetitu moveri gratum eſt. Nam homines, quibus ſaepe corporis ſtatura, deinde non raro etiam vox gravior ac vultus auctoritatis ſpeciem tribuerunt, hos animo laeto, deinde oculis, prae cupiditate in ſaginam defixis, ac torvis, omnis quoque morae interiectae impatientes, ſputantes, lingentes, quaſi delibantes properare, hinc tanquam pernices corvos ad capiendam praedam ruere, atque

diſcumbere, ubi ſic ipſos videre iucundum eſt, tum porro magna animi attentione ſeligere, interdum invidos diripere cibos, poſtea manus, ac buccas iugiter feſtinanterque exercere, tandem ſolicitiores omnia corradere, haec ſine eo haud obſervabis, quin commovearis. Ita ex gratorum quoque recordatione ferculorum, aut cum imperant coquis, aut eos perſtringunt, vel ubi apicia & exquiſita ferculorum iura fingunt, aut verbis extollunt, iam ſaliunt illorum ſalivae fontes. Raro ſuffertos conqueri de moleſtia quadam ſubnata audies, ut neque in ſomnum meridianum, niſi forte ex conſuetudine propenſi ſint. Quos communiter nativum ſtomachi robur in appetendo immoderatos, tamen in digerendo cibo, potuque felices praeſtat; ſicut, de reliquo, partium omnium bonitas, neque ignavos, aut ſtupidos, ſed ad obeundum quoque maiores, licet brevi tempore labores, & corporis exercitationes idoneos reddit. Efficit autem ea internarum praecipue praeſtantia ſedum, ut, quae abundare, aliterque nocere poſſent, illi optatius aut ferant, aut expeditiſſime per quaſcunque vias diſcutiant. Nam, hi nives, illi glaciem ſine incommodo potant, poenaſque montium in voluptatem gulae vertunt; quemadmodum loquitur PLINIUS *H. N. Lib.* 19. *cap.* 19. Sed neque minor eorum felicitas in ſomno, quam inter coenas & crapulas, ſub

exercitatione gulae eſt: tam ipſi enim vero ſecure, alteque dormiunt, quam cupidi & attenti ſtomachum ante impleverunt, quod ſomno plurimum reficiantur, ac potiori hoc tempore ſtomachus vires colligat, & ad obeundum labores novos ſe praeparare ſoleat. Nihil his, per longam ſaepe annorum ſeriem, ex obeſitate incommodi gravioris naſcitur, niſi forte per inferiora loqui nequeant. Tanti, & pene incredibiles ſunt illi fructus, qui ex laudabili nervorum, deinde cavitatum, meatuumque robore, & amplitudine, in cuiuſcumque ſtaturae corpora redundant; ut etiam armoſi & carnoſi illi functionum nobiliorum felici ſucceſſu diu fruantur, & molem corporis facile ferant, carnes vero robuſtae & valentiora oſſa atque ligamenta, quicquid intolerabile aliis foret, id omne egregie ſuſtineant, aut liberius regant. Anatome docet, illorum omnium robuſtorum corporum pinguedinem ſpiſſiorem, & magis conſiſtentem eſſe, nec ita facile diffluere, vel ſubito corrumpi, quemadmodum longe citius poſt mortem pinguedo quaevis corrumpitur, aut diffluit, ac putreſcit, ubi obeſitas diverſis conditionibus fuit ſubnata, & ubi minora commoda, imo maiores moleſtias in vita tulit.

§. XI.

Quae nos de obeſorum, ſimul voracium viſorum primo hominum genere ita cum conditione diximus, ut neque ab communi mortalium lege, ac ſupervenientibus vitae incommodis, morbiſque, immunes cenſeantur; praeſertim ſi optumis illi quoque viribus ſuis abutantur. Ex his vero incommodis alia obeſitas affert, ſed plura ſunt, quae voracitati adſcribuntur. Illi enim vero inter corporis ſui nixus plus operae ac ſpiritus, quam graciles impendunt, & inter continuatos labores ſudore fatigantur: hinc greſſus & ſtatio difficilis eſt, & cor palpitat, nervi vero ſtupidi & torpida membra fiunt; ipſumque laſſatum diaphragma quietem poſcit, totique ad ſomnum facile inclinant. Dandum vero in hoc genere quid educationi, & conſuetudini erit: nam ex his contra otium atque ignaviam generoſum petitur remedium. Sed pleno ipſorum gutture, turgidiſque faucibus haeret ſaepenumero viſcoſus humor, nec is ex angulis, quos ſupra deſcripſimus, praeſertim matutino tempore, & cum evigilarunt, ſine difficultate, & moleſto pectoris conatu excutitur, nec raro raucam relinquit vocem. Praecipue vero gurgites, & qui immoderate vivunt, adverſorum ſaporum ructus crebriores, &

nauſeas

nauſeas experiuntur, hinc per vomitum reddunt; quod ſatiati abunde acceperunt.

Nec coenat prius aut recumbit ante
Quam ſeptem vomuit meros deunces
Ad quos fas ſibi hunc putat reverti
Cum coliphia ſexdecim comedit:

MARTIAL. *Epigr.* 7. 88. Qui licet ſubinde neque vomant, &, ut cum TULLIO *Philipp.* 2. 25. loquamur, fruſtis eſculentis vinumque redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal impleant, nihilo minus tum ſtomachum gravant, tum reſpirationis obicem ponunt, deinde inteſtinorum tenſiones atque dolores, hinc digerendorum moleſtos decurſus, poſtea inordinatam alvum, ſubinde ſiccam, & haemorrhoides ſentiunt, & acquirunt. Nam his avidis, & voracibus ab alvo longius ſpatium eſt, ut PLINIUS *dicit H. N. L. II. c.* 70. Tandem, ubi ad maiorem aetatem noſtri pervenerunt, plurimum anguntur, quod citam, moleſtamque ſibi, quippe gulae adhuc iudulgentibus, futuram ſenectutem proſpiciant, imo quod iam modum magis tenere inter epulas cogantur. Quare illi communiter liberaliori potu largiter compenſant, quod copiae ciborum detrahunt, ut tam in ponderandis, delibandiſque cibis delicatos dominos Trimalchiones, quam in epotandis calycibus ſtrenuos, & profuſos ſis inventurus. Inde vero vinum, vel

ſortior , palatoque gratus potus ipſos magis , quam aſſiduus olim ſtomachi labor conſopit , ſtupidoſque porro , qua corporis robur , qua animae vires reddit .

§. XII.

Quod ſi mortalibus magis nervi ſint imbecilles , quam de primo hominum genere obſervavimus , ac porro, ſi pectus concedatur anguſtum deinde oſſa , & carnes , & vaſa tenuiora ſint , tum crebrius accidit , ut mediocris & minoris ſtaturae viſi, quam quidem proceri homines craſſeſcant . Neque vero iſtos omnes minori appetitu diſcumbere menſis , quam alterius generis homines ſaepe videbis , quod in ipſis nec raro carnoſi ſtomachi & ampli ſint , ſicut demortuorum anatome cognovimus . Verum citius illi communiter ſatiantur , & magis facile ſe obruunt , viſcera autem gravant , atque poſt epulas ad labores inepti , ac ſomnolenti , aut aliter pectoris anxii ſunt , & alii iam inter ingerendum prae labore ſtupent, obdormiſcunt, & ſudant. Poſtquam ita ſufferto tenduntur omaſo , iam ipſi, niſi fortaſſis vomuerint , facile ex errore in diaetae regimine tenſiones infimi ventris , & alia peiora ſentiunt , quam quidem nos de altero obeſorum genere diximus . Nam neque robuſtorum more

extantem interdum ſeſquipede aqualiculum propenſum, ut PERSIUS *satyra* 1. 57. obeſorum abdomen deſcribit, illi expediti, & ſine graviori incommodo ferunt, neque eam ob cauſſam, vel levem quoque laborem & corporis motum, ſine diſpendio virium, & artuum tremore, multoque ſudore demum profuſo abſolvunt. Ad haec plerumque eorum breviores cervices, anguſtaeque fauces ſunt, & hoc magis, aut excutiendus e faucibus viſcoſus humor, aut inter deglutiendum devians ad angulum cibus exercet, aut tuſſis, vel vomitus ipſos angit; ut contractis quoque, & partim oppreſſis iuguli venis, illi ſaepius, tanquam ex ſtrangulatione, inter hos conatus turgere capitis ſanguine, & algere vehementius hac parte videantur, quam id alteris quidem obeſis, & magis firmis non ita crebro accidere obſervatur. Atque inter epulas illi, immoderati viſi, poculum crebrius tenentur vacuare, ut ita cibos diluant, ſi ſtrictior gula fuerit. Effunde hoc cito in barathrum, propere prolue alvum ſuadet PLAUTUS *Curcul.* 1. 2. 29. Quaecunque incommoda vitae immoderatum ciborum uſum ſequuntur, haec quanto graviora ſunt, tanto magis ipſos monent, ut curioſiores vivant, & modum teneant, niſi indulgere voluptati, & poſtea divexari malis velint. Nihilo minus humida illis ventriculi & inteſtinorum temperies eſt, & ea,

utcunque fieri poteſt, ſibi ſuccurrit, maximeque efficit, ut alvus facilis & laxa ſit. Quorum pinguior quoque linguae ſedes, hinc nata non raro infirmitas pinguedine obſeſſorum muſculorum, qui ad loquendum conducunt, eos haud articulate loqui facit, & ipſis rhonchus, ac vocis raucedo prae ceteris frequens vitium eſſe ſolet, quibus ipſi aliorum crepant aures.

§. XIII.

Plurima ex illis, quae ſub nominae vitae incommodorum comprehendimus, & fere diaria appellari merentur, nec medicinam poſcunt, haec, ubi nihilo minus perdurant, aut augentur, & gravius angunt, tum iure referuntur ad morbos, nec raro ad graviorum futurorum ſigna. Confidentius ſecum armoſi & robuſti homines ſaepenumero agunt, ac raro cogitant, quod hoc magis repentinis morbis, mortique, vel ante ſenectutem obnoxii ſint, quo quidem maiori voluptate, & vigore omnia ſuſtinent, & exequuntur. Itaque in magnos morbos, acutoſque, quaſi cum vehementiſſimo impetu, vel fortiſſimi illi, robuſtiſſimique mortales incidunt, cum omnia implentur, cum quaevis turgent, & illi bene ſibi precantur, ac levi ſaepe occaſione data aegrotare gravius ipſi incipiunt. Igitur neque ipſos amplitudo viſcerum, cavitatumque, aut omne robur

tum iuvat, neque ſigillatim cor magnum ſuccurrit; ſed hoc ipſum tanto magis premitur, nec raro opprimitur, quo magis operoſe vires ſuas ante exercuit. Quorſum referri obſervatio prima de corde grandiore, & quinta de aneuriſmate meretur, qualem inter alia lectu digna LANCISIUS *Tr. de Mortibus ſubitaneis* exhibuit. Quod neque aliter evenire ſolet, quam ubi communiter veluti praeparatur longiori tempore, iam vero cumulate tenetur, graviorque ita nunc morbi ſubeſt cauſſa; & hinc obſtinatis inflammationibus, & haemorrhagiis, aliter vero crebri preſſionibus, & apoplexiae, paralyſi, aſthmati quoque convulſivo, ipſique cuidam acutae febri, periculi plenis omnibus, denique vehementiori rheumatiſmo & arthritidi ſic viam ſterni, plerumque cognoſces. Copia humorum deinde fervor ſanguinis auctus, elaſtica denique vaſa ſaevire morbum faciunt, ſicut ante excellentem ſanitatem praeſtabant. Quare qualitate admodum varia, morboſa, inutilia ac moleſta iam cor & arteriae vehementius diſiiciunt, & ita nobiliores partes, licet ſtrenui ante ſanitatis defenſores fuerint, cruore & ſuccis ſtaſin inferentibus ſubinde oppilantur, ac laudatiſſimae ſecretiones turbantur, aut intercipiuntur. Sed, aliquando univerſales morbos, particulares praevenire ſolent, aut tales quoque aliter, & poſt praevios iſtos graviores relinquun-

tur. Sub quibus vero aegritudinibus univerſum adfligitur corpus, illas fere ſenſus gravitatis toto corpore moleſtus, & crurum inſolita imbecillitas, aut pectoris agendi difficultas: aliter vero aurium gravior tinnitus, & vertigo, graviores capitis, & in locis nuchae, qui fiunt dolores praecedere ſolent. Sub his ita vel ſingulis, vel pluribus viſis, non omnibus intemperantiae ſtudioſis, aequaliter proſterni appetitum, aut iniici metum obſervatur, ut & ipſi confidentiores hoc epulandi habitu ſuo, & conſuetudine tum fiant. Igitur incertum ac fragile eſt hoc naturae munus, quod obeſis datur, plerumque breve etiam in his, quibus largiſſime contigit. Qui natura ſunt valde craſſi, breviore vita fruuntur dicit HIPPOCRATES *Aph.* 44. *sect.* 2.

§. XIV.

Quamquam craſſi & debiliores minus ad acquirendum illos morbos ſanguineos, quos Medici ita dicunt, diſponantur, neque vero prorſus ab ſe alienos iſtos eſſe conſtet; tamen ad ſimiles ſaltem ſeroſos, & pituitoſos, quos vocant morbos, potius hos eſſe proclives experientia docet. Deinde vero plura vitae incommoda, quae ipſis ſupra adſcripſimus, cum magis permanent, vel aſperantur, ut medelam quoque poſcant, iam tanquam morbi conſiderantur. At-

que his frequens prae caeteris eſt lippire oculos, aut illacrumari, deinde ipſos tenet catarrhus, & infeſtat ſaepius coryza, vocis raucedo, & aſperitas, hinc dentium dolor, angina, auriumque tinnitus, & ipſa audiendi difficultas, porro moleſta tuſſis, & humidum aſthma; praeter ea anorexia, nauſea, & aegre ſuccedens vomitio, tandem crebriores colicae paſſiones, & flatus, ſed crebriores quoque diarrhaeae, quam alvi adſtrictiones diuturnae. Verum inter peiores, aut ſaltem magis contumaces morbos ſunt, e quibus nonnulli interdum fuſum extra vaſa ſerum in cerebri ventriculis pro cauſſa habent, memoriae, & ſenſuum hebetudo, vertigo, apoplexia, paralyſis, & ſpaſmi deinde catarrhus ſuffocativus, pleuritis, palpitatio cordis, malignae febres, cachexiae & oedemata. Ecquis iam omnes viſcerum ſcirrhos, & ulcera, vel reliquam malorum ſarcinam; quae illis imponitur, iam adferet, & lectorem detinebit? potiora ſaltem, & quae cum indole hominum ſuccis plenorum conveniunt, tantum attuliſſe ſufficit, quippe quos illi ſuccos hoc minus digerunt, quo magis immoderate vivunt. Hi citius prae ceteris ſeneſcunt, ut ARISTOTELES *de Part. Animal. L.* 2. *c.* 5. obſervavit; imo gravior ſibi morbus ipſa ſenectus eſt. Proinde narium, fauciumque delibutarum uberior tum muus, & maior ſordities habetur, loquela ve-

ro, prae balbutiente lingua, & labiis ſtupidis, & dentium caſu aegre intelligitur; ad haec hebetes nervi, & artus inprimis ex praevio abuſu Bachi & Veneris fiunt, imo laxantur alvi & urethrae motuum moderatores muſculi. Quibus porro obeſis, cum aetatis incremento maiori polypi invaſis & cordis ſinubus haud raro fiunt, qui pingues interdum ſunt, teſte BONETTO *in ſepulchr.*

§. XV.

At, alia vitae incommoda, quae obeſis omnibus, gurgitibuſque facile ſuperveniunt, vomitio & diarrhaea tollunt, ut ipſos aliquando morbos detineant; quidam nihilo minus morbi futuri evacuationes quoque alias requirunt ſin arceri velint. Sed, in primo obeſorum genere crebrius vomitur, in altero alvum ſponte purgari frequens eſt. Igitur, cum praecipue in robuſtis ac turgidis, quos ante diximus, omnis motus viget atque increvit, tum ſubinde accidit, ut, ubi ſanguifera vaſa eminent, aut ſingularem quamcunque faventem diſpoſitionem nativam ipſa obtinuerunt, ſive externo, ſive interno accedenti impetui plurimum exponantur, ſed ita ſincerum quoque ſanguinem, crebrius per ἀναϛόμωσιν ac διαπήδησιν, quam per διαίρεσιν fundant. Quam

ob rem illis, qui ab Medicis plethorici ſalutantur, magis quidem in iuventute, quam in conſtante aetate, narium venae ſtillare ſanguinem, aut magis aetate provectis haemorrhoides fluere ſolent. Tantum minus ſecurum eſt, ex pulmonibus, per tuſſim, aut ex ſtomacho, vomitione, aut denique per diureſin reddi ſanguinem; omnium vices in ſequiori ſexu liberalior fluxus menſtruus ſaepe praeſtare videtur. Haec ubi accommodate fiunt, tanta purpurei laticis excernitur copia, quanta ad fluidorum & ſolidorum proportionem mutuam tuendam, alii dicunt, ad aequilibrium inter quantitatem ſanguinis, & vitale vaſorum robur ſervandum, mitti debebat. Magna haec eſſe ſanitatis, vitaeque praeſidia haud diffitemur, & in graviſſimis praecipue morbis ea feliciter ſupervenire ſaepius teſtamur; ſive iam avertendi tales futuri, ſive temperandi, aut profligandi praeſentes morbi fuerint. Quas quidem largiores cruoris evacuationes athleticae formae homines, & omnes carnoſi, ſimul vero obeſi, prae ceteris communiter ſuſtinent, quoties aliae excretiones minori ſucceſſu fiunt, aut ubi aliter ſucci accumulantur, & concipiuntur venis, quanti & corpore utcunque reddi, aut commode ſubigi nequeunt. Tum illos ſanguinis fluxus ad naturae beneficia Medici recte adcenſent, quo quidem magis congruenter

convenienterque cuncti fiunt. Maiores illi, qui ſuo iure ſanguinei obeſi dicuntur, inde fructus communiter ſperant, quam quidem ab largiore alius cuiuſcunque humoris ſecretione ſibi minimum promittere poſſunt. Neminem vero niti hac omni bonitate naturae debere, & vel confidentiae nimiae vitio immoderatum ac gulonem eſſe diligenter monemus. Qui enim vero neque appetitum, voluptatemque refrenant, ſed intemperantiae ſtudent; quare illi non proprio libidinis iure evacuationes impetuoſas, & nimias, quales plurium morborum funeſtorum cauſſae eſſe ſolent, ſibi metuendas habebunt? praeſertim, quo minus cuncta definire licet, quanta ſubinde illorum fluxuum cruoris laudatorum, ſive iuſto graviora irritamenta, ſive impedimenta accidant; quippe omnia detrimento ſibi, aut exitio futura. Utcunque autem, ac peropportune quidem has evacuationes ſanguinis obtineri intelligamus, & mechanica ratione, nixuque decumbentis humoris, deinde vero locorum aptitudine eas fieri exiſtimemus: tamen neque aliis occaſionibus ad inſtituendas ipſas plura conferre, & aliter tantum favere rei, aut crebrius opitulari, quod praeter mechanicum motum vitalem alterum vitae principium eſt, id aſſerere haud refragabimur. Quo enim vero principio homines vere animantur omnes hoc non quidem conſilia inire, & ratiocinari putatur, ſicut

temperari vel profligari debeat, quod ſibi moleſtum videtur; ſed potius ſenſu corporis partium conſtanti, & univerſo, vel ab vitae primordiis ad uſque aetates delato, pariter ſenſum moleſti & morboſi, nec ſemper intellectu definiendum & aſſequendum inferri, ſimul vero qualecunque morborum adiumentum generatim declarari contendimus. Tanta eſt nervorum liquidi, ſed ineffabili vi animae aucti, & ipſius principii virtus, tantaque ad corroborandum, aut laxandum vaſa, & quoſcunque meatus potentia, ut in magno, etiam promptiſſimornm numero eventuum, quotquot in ſtatu corporis ſano, perinde, ac morboſo rem extra dubium ponere videntur, ſentire ſecus, religioni ducamus.

§. XVI.

Quodſi in illis robuſtis hominibus multa ſubinde de ſanguinis fluxibus, qui optato ſuccedunt, promiſimus, tum multo tenuius de debilioribus corporibus ſentiemus, nec tantos, aut ita diuturnos fructus, inde pollioebimur. Quorum debiliorum corpora, licet obeſa pariter ſint, & ſuccis impleantur atque vigeant, valeantque: tamen neque nobilia vaſa, & viſcera, ſatis ampla, vel ſaltem ita robuſta communiter in ipſis habentur; imo totum neque corpus tam firmum viſitur, ut paria, & diuturna incrementa, atque bonitates balſami, quod ſerum, & alia maiori

copia coerceat, quam quidem in alteris hominibus ſperare poſſimus. Magis iuvare iſtos ſeroſae & mucoſae evacuationes cenſentur, quaecunque tantum ita modice fiunt, ut neque corporis hinc infringantur vires. Quae ita non ſolum, uti diximus, cum ſanguinis balſamo, & vaſis congruunt: verum cum illorum hominum quoque pinguedinis indole, deinde vero cum omni preſſione, quam cor ac viſcera cum tempore experiuntur, plurimum conveniunt; quo magis, vel ſanis adhuc viſis, omnia fere organa, ut partes aquoſas ſubigant, & lentorem ſanguinis particularum, quantum in ſe eſt, avertant, aſſidue occupantur. Quare his non raro aut alvi fluxus, aut largior urinae, & ſudoris, aut cutaneorum exanthematum proventus, aut denique humida tuſſis, vel narium, fauciumque catarrhus, ad cavendum ſibi ab adverſa, & graviore valetudine fert auxilium; imo vero & crebrius haec ita alios, qui iam vere morbis fatigantur, magnopere levant, atque iuvant. Quibus enim vero omnibus admodum minuitur ſeroſa colluvies, ac ſaepius educitur, ut neque facile hinc obrui cerebrum, aut inundari alia, & plurimum languere ſoleant; imo vero & aliquando, ſic fatales futurae oppreſſiones, aut periculoſiſſimae humorum ſtagnationes in vaſis quin paſſim fiant, prohibetur. Verum neque ipſos ab omni timore li-

beros eſſe futuros , monemus , praeſertim , quo minus ad ſtatum ſui corporis accommodate & temperanter vivunt , aut quo magis implent corpus , quam quidem ferre omnis eorum conditio videtur . Nam plures evacuationes in omni reliquorum genere hominum tolerabiles ſunt , quae hoſce obeſos nihilo minus ſaepius & vehementer debilitant ,

§. XVII.

Tandem pro utroque hominum obeſorum genere , quae ſalutaria capienda ſunt conſilia , ſubnectamus . Multa , qui praeſentes moleſtias ſentiunt , vel futuras proſpiciunt , impatientes quippe ſaepius viſi , moliuntur ; nec raro ipſi Medici magno ineptoque medicinarum adparatu tum pinguedinis incremento , vitaeque incommodis , tum morbis ſeſe opponunt . Plura ſaepiſſime omnes fruſtra tentant , ut etiam obeſitatis quaſi dona , nativitate priora , & magis radicata eſſe quis facile ſentiat , quam , ut minui , aut omnia inde quidem futura vitae incommoda remediis averti velint . Ad reprimendam arte corporis molem ſpes maior adfulget , ſi obeſitati , quae in vita acciderunt , ſaviſſe potius , & eam auxiſſe videantur , quam ſi nativa bonitate provenerit . Quare , in utroque hominum genere , inter alia , ac potiſſi-

mum temperantiae ſuadetur ſtudium, qua cibum & potum, otium atque ſomnum. Hinc illi, quos ad primum obeſorum genus revocavimus, labores, & corporis exercitationes cum fructu ſuſtinent, ac cibum copioſiorem, ſed carnes vetuſtas, piſces, ut ſuadet HIERON. MERCURIALIS l. c. nec ita brevi conficienda alia, ſed tenuem, aquoſum, vel aquae ſatis ſimilem, & largiorem potum, inter ſibi commendanda habent; nihilo minus moderamine in omnibus adhibito, niſi hinc minui obeſitatem ſentiant, tamen, quin graviora ex aucta in dies mole corporis incommoda, morbique ſuperveniant, ſic effici, ac prohiberi admodum intelligent. Quo ſub regimine illi utiliter etiam Veneris exercitio, nec tanto cum virium decremento delectantur, quam quidem minus robuſti agunt, quos alteri obeſorum claſſi adſcripſimus. Proinde iſtis neque crebrior, neque largior venae ſectio, aut ſcarificatio nocet, ſed potius mirifice prodeſt; ſcilicet, utcunque Medici, aut deficientes ſanguinis evacuationes concitare, & iuvare, aut aliter ſupplere, aut denique tales moderari pro re nata fore conſultum putant. Quanquam vero in his, praeſertim guloſis, etiam ſubinde vomitorium exhibere remedium, aut per alvum primas purgare vias expediat; tamen pro detinendis graviſſimis morbis, ad quos illi proclives robuſti cenſentur, ſa-

cile miſſionem ſanguinis praeferimus. In utroque evacuationum genere ſuadendo, conſentientem inter alios habemus TIMAEUM A GULDEKLEE *lib.* 6. Frictionem corporis miſſioni ſanguinis praefert, imo hanc diſſuadet, ſed fortaſſis de altero hominum genere, de quo nos magis diſcrete diximus, id ita intellecti HIERON. MERCURIALIS l. c.; nam ita demum conciliabuntur loca apud CAEL. AURELIANUM & GALENUM, quae iſte pro ſententia roboranda adfert. Vitent hi multa ac valde activa medicamenta, & quaevis calidiora viſa, ſed ſibi quoque temperent vinorum minus diureticorum uſu; deinde vero ſudorem, & quamcunque ſupervenientem humorum evacuationem, ne nimis temere ipſi in primis annoſi ſiſtant, & cohibeant, denique ſe ipſos, ne quid prorſus immoderate, & ita minus accommodate agant, valde reprimant, atque cuſtodiant. Eſt quoque in ſalium fixorum, ſive ſelectorum medicatorum, ſive culinarium, etiam purioris aceti & citri ſucci uſu quaedam nec levis ſperanda medicina: nam & ipſi tenuiſſimi ſalium ſolutorum cunei, pro ſingulari ſuo, quo pollent, rigore, & quod ſanguinis ſero perlubentes innatant, pinguium generationi, in primis abundantium globulorum ita obſiſtere frequentes videntur, ut vel eandem ob cauſſam paullo liberalior ipſorum uſus, ac tuto quidem ſuadeatur, quantus etiam pro vehemen-

tiore humorum motu temperamentum addat, & diverſin promoveat. Quibus ita robuſtis ſimul obeſis acidulae ſic dictae convenient; & ipſos thermarum potus, ſcilicet ſale terrae nitroſo, catholicoque turgidarum magis iuvabit, quam externus earum, balneorumque aliorum calidiorum omnium uſus conducet; quin potius balnea valde tepida, ſale, nonnunquam alumine condita utilia erunt; imo frigida quoque balnea inſtaurare illorum corporum vires, id maiores noſtri, & vetuſtiores homines cognoverunt, atque in creberrimo uſu haec habuerunt. Quibus etiam, praeter largiorem tenuemque potum ordinarium, proſunt aquoſa decocta ſarſae radicis cum paſſulis minoribus, addito tantum pro iunioribus pauco Guaiaci ligno, & aliis. Curam per rorem maialem nos ad largiorem & tenuem potum referimus, quo quidem potu, loco cereviſiae obeſus utatur. In omnibus vero adhibendis quiſque ſui ipſius ſubinde medicus erit, & quemque ratio, & propriorum phaenomenorum experientia, quid ſeligere debeat, admodum docebit; ſed omnium exquiſitior obſervatio magis expertum medicum monebit, quodcunque accommodate debeat ſuadere. Damnamus illorum Medicorum morem, qui diuturno, & vario, incertoque, ac ſaepe inutili remediorum adparatu, uſuque, aut haemorrhoidum fluxus, aut alia, ob leves ſaepe hominum

minum querelas provocare ſtudent; nam communiter a ſe ipſis ignoratur, quanta vel ſecundum varias naturae conſuetudines, & particulares venarum locorumque rigores obſtent, quo minus conſequi, & excitari poſſint, quae moliuntur.

§. XVIII.

Quae quidem hactenus obeſorum, ac robuſtorum, voraciumque hominum cauſſa dicta fuerunt, ea partim alteris obeſis, nec robore corporis, nec organorum, vaſorumque elaſticitate, aut amplitudine paribus conveniunt: partim vero maiori cum moderamine, aut cum conditionibus aliter adiectis ſuadentur. Illi enim vero, ubi plura omnino ſuſtinent, feliciterque ferunt, quae vitae incommoda his omnino parient, tum in hoc genere hominum, nec tantum indulgere appetitui, nec corpus exercitatione, & vel brevioribus laboribus fatigare permittitur. Nam, neque ſtomachi labores, neque plenitudinem inteſtinorum, cum cibo canales gravantur, ipſi ſine anxietate, & ſpiritu difficili; vel ſine doloribus imi ventris, aut ſine inflationibus inteſtinorum, imo alvi obſtructionibus ſuſtinent; quem ad modum neque intemperantes ſomnolentiam, nihilo minus ſomnum facile per moleſtos ſenſus interrumpendum, & plures infirmitates effugiunt. Quod ita prae-

ter modum ingeritur, id abſque incommodo haud conficitur, & quod inde nihilo minus conficitur, id in humorum circuitu haud recte digeritur, ſanitati vero inſidiatur. Hinc accumulare ſuccos, nec ita acceptorum copiam illi excretorum conformem praeſtare, idem omnino erit, ac mollitiam, & languorem corporis, ſimul ipſius ſanguinis balſami, hinc pinguedinis vitium arceſſere; genus vero nervoſum, ſicut alia quaevis obruere, & ſubinde ſenſuum hebetudinem, ſemper vero motuum imbecillitatem organis inferre. Sed debiliores obeſi, in numero alimentorum, facile abutuntur piſcium, praecipue maiorum minus digerenda carne, aut fumo induratis cibis, aut quibuſcunque flatulentis, qualia nihilo minus, per plures annos, robuſti illi atque obeſi facile conficiunt. Sed maxime curae, atque animi affectus, ſi quando noſtros angunt, tum quo molliores ipſi corpore ſunt, hoc minori animi fortitudine reſiſtunt, ac inde quoque prae alteris facile aegrotant. Quos ita homines ad ſeroſam colluviem, ſaepe & ad acquirendum humorum lentorem, acrimoniamque diſponi videmus, ut eorum per fortiora purgantia medicamenta, nedum per infenſa his vomitoria canalem convellere alimentorum, noxium plerumque, aut anceps conſilium ſit; quin potius tartarea medicamenta, & aloetica ſufficiunt, ac multum ad avertendum vi-

tae incommoda conducunt, quippe maiorum noſtrorum uſu comprobata. Fruſtra adhibentur omnia medicamenta, ubi temperantiae ſtudio, aut modico meridiano ſomno: & quidem conſueto reficitur corpus, aut etiam ubi moderata corporis exercitatione, maximeque animo ab curis, quam fieri poteſt, vacuo, liberoque, & ſimilibus conſiliis recta defenditur valetudo. Hi enim vero, pro laxo, & molli ſuo corporis habitu, promte plurimumque ſudant; hinc neque ſub convenienti omnium moderamine facile ſeroſi in ipſis accumulantur humores, ut vel nobiliſſimae ſedes obruantur, nedum ut morbi qualitatum humorum ita valde metuantur; potius tantus ex vita ſobria redundabit fructus, ut, ſi aliquando morbi invadant, tum mitius cum homine agant. Quorſum referri merentur, qui vel ex improviſo ſuperveniunt, calculi, artuumque dolores, & haereditarii, aut plures alii morbi, & morborum cauſſae. Neque vero, ſub vitae quibuſcunque incommodis ſibi recte obeſi proſpiciunt, aut etiam ſymptomata prudenti ſatis conſilio detinent, aut depellunt, cum aduſtorum abuſu vinorum variorum, qualia hodienum celebratiſſima ſunt, corrigere, errores ſtudent, quos ipſi guloſi in cibo potuque commiſerunt. Tametſi enim, non quidem quotidie, ſed medicinae inſtar, ac moderatius adhibendos ſpirituoſos liquores, haud adverſari

pluribus obeſis intelligamus: nihilo minus, quod commodum adferre meracum vinum poteſt, id deſtillatis conſequendum non eſſe monemus; quo magis illi quidem arte deſtillati liquores ſtomachum ſingulari ratione ad plus poſtulandum invitant, ut aegerrime appetitui obſiſtatur. Nihilo minus hodie, & quidem crebrius illorum abuſu liquorum, ac ſenſim plures obeſi, praeſertim cum otio fruuntur, ſibi peiora ſymptomata conſciſcunt, quam quidem ea ſunt, quae pinguedinis moles interim ciere unquam poſſet; ſiquidem ſummo cum ſanitatis diſpendio iſti continuato eorum uſu ſtomachum & inteſtina ſiccant, ut nihilo minus haud diſparere obeſitatem priſtinam intelligas, donec, accedente ita digeſtionis alimentorum, & motus vitalis vitio, cachexiam morbum accelerari, ſubſtituique in locum vitae incommodorum pateat. At his neque obeſis, adhuc recte quidem valentibus, largior, neque crebior venae ſectio, praeſertim ſub climate, quo nos vivimus, convenire ſolet; verum parcior, nec niſi tempeſtiva his plurimum opitulabitur, imo interdum futuros morbos quoque detinebit. Nam illis ſincerum ſanguinem copioſius detrahere, hoc magis iniquum reputatur conſilium, quo minus eorum vaſorum, & machinarum corporis omnis adparatus ad nutritionem, & conſervationem diuturnam ſanguinis optimae notae globulorum ſatis idoneus aliter eſſe

viſitur; ut potius cum aetate, aliterque, ad mittendum ſeroſam colluviem, ſicut ad languorem viſcerum, vaſorumque, & ſenſim quidem acquirendum, cuncta organa perpetuo niti, & tendere videantur. Quem ad modum vero ſemper expedit, liberam eſſe alvum, ita omnibus obeſis, ſed maxime illis, quos ſub hoc altero hominum genere comprehenſos volumus, in primis utile; & ad arcendum moleſtias, quot, quantaeque ab illa obſtructa oriuntur, proficuum valde ac ſalutare erit, ſin recte ea ſucceſſerit. Quam, ſive medicamentis promovere, ſive mollientibus cibis, potuque, aut, ubi opus fuerit, clyſterum uſu reddere & ſervare laxam illi curae ſibi habeant; unde ſemper, & quidem ſub decenti reliquorum moderamine plurimum ſolatii hinc ipſi indipiſcentur. Idem de morbis, qui ſuperveniunt, ſive temperandis, ſive ſolvendis, nec raro quidem certa lege valebit: ut, quicunque demum ſine maiori virium diſpendio fiunt alvi fluxus, aut ſeroſae plures evacuationes, illis ſummopere ſalutares eſſe cenſeantur. Abſtinentia a cibo ſuperfluo, & potu, tanquam conſilio nunquam fallente, obeſos agiles reddi DOMINIC. PANAROLUS *Pentecoſt.* 4. *obſerv.* 18. docet. PLINIUS *Lib.* 14. *c.* 30. fraxini folia onere corpus levare obeſum contendit, ſin vino terantur, ut etiam maciem huius potus continuato uſu inferri tradat. AR-

NOLDUS WEIKARDUS *Tract. Pract. Lib.* 4. *c.* 1. decoctum iulorum coryli adhibendum commendat: quibus omnibus facile praefertur generoſum ligni ſancti decoctum. Nam hoc remedio, & aliis, e. g. pro ſequiori quoque ſexu emmenagogis, vel pluribus additis, debiles excretiones & ſecretiones humorum iuvantur, inter alia ſimul menſtruus promovetur ſanguinis fluxus; praeſertim ſin vino, aut aqua chalybeata talia decocta fiant. Iam nos ſilentio praeterimus Tincturas chalybis & Tartari. Nam haec, longeque plura medicamenta ſaltem qualecunque, obeſitatis cauſſa, levamen ferunt; ſcilicet, ubi nondum cauſſa alicuius morbi gravior, & tenax fuit ſubnata, tum illa recte ſuadentur.

§. XIX.

Tandem omnes, quotquot obeſitatem futuram proſpiciunt, cum fructu maiori in iuventute, quam in ſequentibus aetatibus corporis exercitatione utuntur; nec raro illam hocce remedio ipſi detinent, aut certe diu admodum coercent. Inter haec conſilia obeſos ſenes, ſicuti illos, qui poſt gravem morbum convaleſcunt, vel ſicuti alios, qui ex organorum antiquo vitio imbecilliores ſunt, imo vero decrepitos, ſicut infantes cenſere decet: maxime cum exercitationum gene-

ra ſeligi, & alia ſuaderi, alia vero diſuaderi debent. Quorum delectu patet: pauca eſſe, quibus haud facile excedatur modus; & inter moderata perinde, ac uſitatiora eſſe navigationem, vectionem deambulationem, denique equitationem per aequales & lentos equorum greſſus, aut tantum continuatos eorum ordinatoſque ſubſultus. Fortiores conatus, &, quae corpus amplius fatigant, in venatione, curſu, iaculatione, & reliquis, modo intacta relinquimus; potius in omni hocce delectu, aetatis, ſexus, roboris, & omnium corporis functionum maiorem, quam conſuetudinis rationem habendam eſſe diligenter monemus: deinde vero etiam de hoc, illoque genere exercitationis diſpici, recteque patere debet, quot, & quanti corporis, praefinito longiori, vel breviori tempore conatus, atque motus, ſed ſigillatim, in conſtanti aetate, quo ipſi animo fiant, qua pariter tempeſtate, qua hora, & quo loco, atque ordine illi ſuſcipiantur; ſicut unus inter omnes luculentiſſimus ſcriptor HIERON. MERCURIALIS *Libro de Arte Gymnaſtica* docet.

IOANNIS PETRI FRANK

MED. CLINICAE PROF. &c.

ORATIO ACADEMICA

DE CHIRURGO MEDICIS AUXILIIS INDIGENTE.

Habita Ticini, die 31. *Maii* 1787.

QUod Medici ſaepe numero praeterviderunt, Patres Sapientiſſimi, Rector Univerſitatis Magnifice, Commilitones nobiliſſimi! ut aegrotantibus ammiſſam ſalutem non ſolis rebus, quae *Medicamina* ipſis dicuntur, ſed adaequato tum corporis tum animi *regimine* reſtituere conarentur: hoc Chirurgi frequenter ſatis in eo delinquunt, quod *externis* nimium confidentis auxiliis, haec ipſa *internis* adiuvare, adaugere, quod ſaepius poſſent, oblivifcantur. Quantumcunque enim, qui corpus *externum* pertractant, partes luxatas, fractas, ſeparatas, reponendo, uniendo, firmando, conglutinando, ſuperfluas reſecando, concretas ſeparando, noxias auferendo, corruptas corrigendo, laxatas roborando, prolapſas reſtituen-

do, ab illis, in vulgi oculis, diſtare videantur, qui ingentem malorum *interius* urgentium cumulum *Medicis*, ut dicunt, auxiliis moderantur, aut ſanant: arbitraria tamen, nimiſque vacillans eſt inter utramque artem diſtinctio, ſi ſeparatas ubique incedere poſſe, unam altera non indigere, hac ipſa contendamus; neque in quamplurimis certe caſibus, Chirurgus aut arte medica, aut Medicis auxiliis, ſine maximo aegrotantium damno carebit..

Quamvis vero haec res a prudentioribus, ſatis tandem his noſtris temporibus perſpiciatur; minor tamen adhucdum vel apud ipſos Medicos atque Chirurgos omnes, huius veritatis eſt perſuaſio, quam ut inutile eſſe poſſit, Medicam Chirurgicamque iuventutem de neceſſitate *utramque Scientiam unitim colendi* & utriuſque artis ſic nobilitatem & excellentiam adaugendi, hac data mihi occaſione academica, tum ratione, tum exemplis breviter commonere.

Ac primo quidem fateamur, quod res eſt: Medicos ſcilicet quamplurimorum morborum, qui *internum* hominem tenent, nunquam rectiorem habituros fuiſſe ideam, niſi quae *exterius* & ad eiuſdem ſuperficiem frequentius contingunt, attentiori oculo conſpexiſſent, ſymptomata ſtuduiſſent, atque haec ipſa, & exitum, ſede tantum & laeſa functione diverſa, inter ſe comparaviſſent,

donec, quo unum ab altero differret, edocti, particulares ſibi indicationes elicere didicerint: quae tamen omnes ita ſunt conſtitutae, ut raro non certis malis *etiam externis* convenire poſſint & ſic priſtinam ſuam ex analogia originem non agnoſcere. Quodſi haec de omnibus certe dici nequeant; veriſſima tamen ſunt, ubi de inflammatione, de ſuppurationibus, ulceribus, de obſtructione, de tumoribus ſcirrhoſis, cancroſis, multiſque aliis incommodis internis agitur.

Sed & ipſi morbi *interni*, qui & ad ſuperficiem corporis efflorescunt, ſcilicet a cauſſis protinus *internis* dependentes, nec *externis* remediis abigendi, niſi quae aperte ad interiora penetrant & in ſuperficiem reagere poſſint, hi ipſi inquam morbi *interni*, debuiſſent ſat ſatis quoſcunque convincere, nec *externum* morbum ſemper vocari poſſe, qui externe conſpicuum ſe reddit; neque regulas Chirurgicas hic multum pollere, niſi aut natura *Medicum* agat, aut Medicus, arte ſuppleat. Sic ulcera ſcorbutica, venerea, ſcrophuloſa, ſic caries, ozoena, ſcabies ſyphilica, ſic oculorum vitia, ipſa amauroſis vel ab acri hectico, vel a rheumatico dependens, raro aliam, quam quae *internis* ſit, aut ſaltem coniunctim ſit, curam admittunt. Sic variolae, licet totidem *abſceſſulos* offerant, ſic petechiae, vibices, maculae ſcorbuticae, venereae, licet *echy-*

moſis ſpeciem ſiſtant, nequaquam remediis in abſceſſu, in echymoſi adprobatis, cedunt; ſic haemorrhagiae, etiam externae, quae in putridis morbis, in ipſo iterum ſcorbuto, ex ſolidorum ſolo, ut fere videtur, vitio, e diverſis locis erumpunt, ad tempus quidem coerceri aliquando, — curari vero, niſi cauſſa praeſcindatur, non poſſunt.

Sed ex altera parte, non minores *Medicum* difficultates premerent, ſi *Chirurgia*, ſua eidem ſubſidia eſſet denegatura. Sola venaeſectio morbos inflammatorios etiam *internos* profligit, quos nec decantatiſſima refrigerantia aut antiphlogiſtica eſſent victura. Solus *cereolus*, in morbis urethrae, *bacillum* illum, quem eſſe negant, *devinatorium* ſiſtit, quo non theſauri quidem deteguntur ſed praeparantur aegrotantibus, quos ſola ars Medica infeliciſſimae ſorti expoſuiſſet. Pauca ſunt, quae *Medicis* contra venenatos morſus, ictus, antidota innoteſcant; *Chirurgia* in tempore vocata, quamplurima ex his venena ſolo cultro radicitus exſtirpat, malumque prevenit, quod *Medicina* curare ignorat.

Quam egena igitur ars utraque; ſine *arte ſorore* incedit, & quam magnis mortales beneficiis privabantur, ex quo tempore Medicis, qui fere omnes tunc ad *Clerum* pertinebant, impium erat, quod ignorantia ſola timere potuiſſet, humanum corpus, ut a graviori malo liberaretur, *ſaucium* reddere!

Quanta vero, quamque felix rerum mutatio ſub intimiori Chirurgicae artis cum Medica, coniunctione obſervatur!

Quoties non ſuppurationis perverſa in ulceribus ratio, quoties horrendorum in vulneratis ſymptomatum cauſſa, in ſola primarum viarum ſaburra latet, praecipue dum, poſt rixas praegreſſas, bilis excretio ſupra modum adaucta, aut per metum operationis Chirurgicae inſtantis, ſuppreſſa tranſpiratione, colluvies humorum acrium ad inteſtina confiuit & ibidem irritando, non adeo univerſi corporis morbum inducit, quam in ipſum vulnus per conſenſum agit, nullis *externis* remediis, ſolis vero evacuantibus antiphlogiſtis, leniendum! quoties oppleto prius cibis ſtomacho vulnerantur homines aut alio modo laeduntur, ut a levi vix plaga aut contuſione ſuſcepta, mox febris putridae indolis aut gangraenae indicia huic ſeſe adſocient, nullo *locali* remedio avertenda! Quoties tandem non ſolus, a triſtitia, timore, vel, in ſenſibilioribus, a ſola doloris vehementia excitatus ſpaſmus, lethalem reddidit *operationem Chirurgicam* nullius caeterum indaginis: quas ſcenas prudens remediorum etiam *internorum* uſus, incantationis modo avertere potuiſſet! & quam felix nunc gangraenae illius, poſt enormes dolores, pollicem pedis occupantis, per *opium*, cortici chinae coniunctum,

ſit curatio : quam nec ſcarificatio , nec ulla corticis , non externa tantum , ſed & interna adhibitio , avertere hucuſque potuerant ! Ipſa demum ars obſtetricia nonnunquam ex hoc eodem divino opii remedio *interno* opem efflagitare coacta eſt , ubi vel ſpaſmodica *medii uteri* , quod mihi contigit, contractio, *verſionis* cum foetu opus manui obſtetricantis penitus denegabat ; vel ubi ipſae uteri haemorrhagiae, ex ſpaſmis ortum ducentes, hoc eodem remedio ſiſti tandem potuerunt , in quas nulla vel venaeſectioni vel iniectionibus , erat potentia !

Sed , licet haec recentioribus nota ſatis eſſe poſſint ; iuvat tamen , ex proprio obſervationum penu , duas tantum eligere , quae veritatem dictionis confirmare queant , *Medicinam unam eſſe*, *non binam* , quae hominibus medelam promittat ; quod nullus eſſe queat , qui *Medicus* non ſit , verus *Chirurgus ;* quodque , nec Medici titulus magni adeo habendus eſſe poſſit, qui, quod Chirurgi eſt , non ſaltem quam optime calleat, licet ipſam operae manum adplicare non adſueverit .

Praefectus civium *Rotalbanus* in *Auſtraſia*, *N. Dautieux* , efflorefcentiis ad faciem notatus & lymphae acrioris ſigna offerens, annorum 50., cum menſe Novembris anni 1766. venatui intereſſet , locum ſibi a venatoribus indicatum , ſub adventu ferae , dereliquit , & cum ex his unus ,

lethali plumbo, ad ducentos paſſus, beſtiam proſterneret, poſterius adſtans ab hoc eodem percuſſus eſt: ut ambo, capreolus nempe, & Praetor incautus, eodem ictu, ille inanimis, hic, ut videbatur expiraturus, humi procumberent. Globus plumbeus ad dextrum inguen, virum infelicem attigerat: ubi, partem penis aliquam lacerando, per ſcrotum deſcendit, penetravit, &, trochanterem maiorem deſcenſu ſuo praetereundo, vi ſua ad tantam diſtantiam infracta, ſub natibus delituit. *Bitis* tunc, in vicina *Lotharingia*, medicinam exercebàm, & tertia laeſionis die ſaltem, ad aegrotum vocabar. Interim domum tranſportaverant ex ſylvis Praefectum, & Chirurgus mihi amicus D. WIENERUS Pirmaſenſis fuerat accerſitus.

. Hic globum plumbeum, pollicem fere ſub natium cute deliteſcentem exſecuerat; aſt vero, licet, venaeſectione praemiſſa, emollientes genitalibus 'feritis continuo impoſuiſſet, vulnuſque ſclopeto factum quidquam ſcalpello dilataſſet; tanta ſymptomata aegrotum ſucceſſive torquebant, ut ſpem omnem de recuperanda ſalute ipſemet iam amiſiſſet. Uterque iuvenis, parvaque adhucdum experientia propria muniti, aegrotum nunc acceſſimus. Iam ab horis triginta fere, vomitus aderat continuus cum ſingultu fortiſſimo & doloribus per abdomen tenſum & turgidum cru-

deliter lancinantibus. Sed, quod non minus exterruit, nigerrimo colore totus venter, a genitalibus uſque ad regionem epigaſtricam obductus fuerat, quin illa multum tumerent. Febris magna, pulſuſque fortes aderant & duri. Timorem praeſentis iamiam gangraenae ab affinibus nutritum, mihi excuſſit notus vulnerum per ſclopetum inflictorum character, ſub quo ſanguinem ſaepe non multum fundunt, ſed ſub cute ipſa in cellulosam evomunt, atro mox ſuperficiem notante colore. Repetita fuit venaeſectio & ſanguis ad unc. 15. emiſſus. Diſcutientia, emollientibus iuncta, pro fomentationibus ad ventrem, ad genitalia vero ſola emollientia inſerviebant, &, non obſtantibus ſignis inflammationis ſuſpicionem moventibus, *opium* ipſum in magna ſat doſi hauriendum porrexi, Vix poſt horam, ceſſabat vomitus enormis ille, per quem quaecunque aſſumpta mox ore reddebantur. Ad veſperas ſingultus evanuit, ventriſque tumor, alvo interim clyſteribus adperta, ſubſedit. Sequentibus diebus color abdominis ater in lividum, viridem, flavum denique & variegatum, more Echymoſium, mutabatur, & ſuppuratio vulneris oras ſat bona obtegebat. Sufficerent haec certe, ad eximium *opii* effectum in partis nervoſae laeſione *externa*, & oriundis ab hinc ſymptomatis, remedio *interno* conſpiciendis, confirmandum; niſi morbi huius

exitus mereretur, qui breviter hic quoque exponatur.

Mox enim, aucta ſenſim ſuppuratione, conſpeximus, ſcrotum, quod nunc detumere debuiſſet, magis magiſque inflari & ſigna *hydropis ſcroti purulenti* offerre: cum nulla huius partis poſitio, aut levis etiam compreſſio, impedire potuerit, quin pus, ex dilatato licet vulnere effluere recuſans, in celluloſa ſcroti colligeretur. Res igitur haec novam ſcroti, ex parte contraria, ſectionem, exigebat, atque *Setaceo*, utrumque, non quidem ſine aliquo aegroti cruciatu, tenebatur adpertum. Pure ſic copioſius excreto, tumor ſcroti ſucceſſive diſparuit; ſed poſt ſextam circiter ſeptimanam ipſum teſticulum occupare videbatur, celerique paſſu in ſuppurationem hic ipſe abivit. Emollientibus enim adplicitis, idem ſponte, & in tribus quidem locis, cum cute, qua obductus latet, rumpebatur, & quotidie magnam *filamentoſi puris* copiam largiebatur: donec poſt menſis ſpatium, ſenſim imminuto puris effluxu, cicatrix una poſt alteram inducta eſt: ſub qua parva tantum teſticuli portio reſtitans tactui ſeſe offerebat. Neque tamen hic finis malorum fuit. Tertio enim cum dimidio curationis menſe elapſo, ſubito tumor magnus & dolens & pulſans, ad femoris partem internam, ſuperiorem, exſurgere viſus eſt. Cataplaſmate emol-

molliente impoſito, poſt paucos dies fluctuatio latentis ſubtus puris percepta eſt, quod, facta inciſione profunda, magno rivo effluxit. Poſt aliquot dies comparuit, cariem oſſis femoris huic tumori anſam dediſſe: plures enim lamellae pure commixtae ab oſſe adfecto ſecedebant, quas, ad ſeptem fere numero ſucceſſive collegimus. Tandem, nec tamen ante trigeſimam ſextam, ab inflicto vulnere, ſeptimanam, cicatrix & hoc in loco inducta, & aegrotus ſanitati perfectae reſtitutus eſt, ſi obliquitatem penis erecti excipiam, quam primarii vulneris, non ſine aliqua ſubſtantiae deperditione impetrata coalitio poſt ſe reliquit; quamque forte praevenire potuiſſemus, ſi, ſub ſingulis deligationibus, pene in adverſam magis partem poſito, concretionem labiorum vulneris, donec nova ſubſtantia ſuppleviſſet, impediviſſemus. Tanta interim damna uxor viri foecunda reparare novit; & commiſſum a nobis errorem, mox poſt reſtitutam marito ſalutem, oblique licet ſuſcepta prole, rectiſſimo partu vindicavit.

Ad ſecundam obſervationem me converto, quae non minorem *remediorum internorum* in malis ab *externa* laeſione provenientibus neceſſitatem, demonſtrat.

Catharina Granda, virgo 18. annorum, *Trivoltii*, Provinciae *Ticinenſis*, nata, optima cor-

poris conſtitutione gaudens , niſi quod ante quatuor annos verminoſa febre laboraverit , ſub ruſticis laboribus , inſtrumento quodam dorſum pedis ſiniſtri feribat & ſuperficiale omnino neque ultra pollicem latum vulnus infligebat. Vix doluit a laeſione Plaga , quae oleo quod Scorpionum dicunt, dein vero unguento digeſtivo a parentibus obtegebatur. Poſt decimam tertiam a vulnere inflicto diem , ad ſiniſtrum maxillae inferioris articulum , ſenſimque ad dextrum , incepit tenſione magna affici , quae & oris adperturam , & deglutitionis opus , valdopere impediebat. Hac ipſa die , vermem ano reddidit aegra ; ſequenti vero , tenſio magna anteriorem colli faciem occupat ; unde , praeter priora phaenomena , & ſermonis potentia intercipiebatur . Sed mox collum ab his liberabatur , ac tenſio gravis nunc dorſum invadens , ad veſperas noctemque fortiter torquebat hancque prorſus reddidit inſomnem . Die ſubſequente , convulſiones hinc inde miſeram matutinis horis invadunt ; quare , a Chirurgo loci, ſex dorſo cucurbitulae imponuntur. Vix ab hoc fuerant avulſae : cum tetanus univerſalis aegrotam corriperet , non niſi ſuperiorum remanente artuum mobilitate. Coeperunt mox vertebrae dorſales a linea directionis ſibi naturali reflecti. Per paroxyſmos invadebat muſculos extenſores contractio frequens & doloris pleniſſima ;

Digitized by Google

quo in ſtatu, tres adhuc in domo paterna dies, alvo caeterum ſtrictiori & capite aliquatenus dolente, miſera tranſegit.

Die 28. Iulii 1786., verſus meridiem, quae dies *vigeſima* tetani erat, tranſportatur aegra ad Noſocomium Ticinenſe. Cum per exactum ſatis examen mihi, hac ipſa hora Noſocomium viſitanti comparuiſſet, morbum non abſque ſignis praeſentis in tubo inteſtinali ſaburrae, hucuſque inceſſiſſe, — cum adpetitus non ſolum deeſſet; ſed & de oris amaritie conquereretur puella: praeſcripſi mannae & ſalis amari aa unc. 1 $\frac{1}{2}$ cum tartari emetici gr. 2. ſolve in aquae ſ. q. colatura unc. 9. detur omni trihorio ad tertiam partem. Dein Balneum ingredi iuſſi aegrotam, & clyſtere alvum prius reſerari. Balneum vero hac die non intravit, nec niſi unicam medicamenti portionem aſſumpſit: cum abhinc ſat ſatis moveretur alvus & quamplurimae faeces viridiuſculi coloris fuerint eiectae, foetidiſſimae. Acceſſit poſthinc, qui Medicus Noſocomii eſt, coniunctiſſimus Collega, Ill. Prof. CARMINATI, & *Moſchum* omni trihorio ad gr. 3., & fomentationes emollientes abdomini adplicandas, praeterea vero ſequentia ordinavit. R. pulv. rad. Valerianae, Seminum Santonici aa Scrup. 1.; rad. Rhei elect. gr. 15. M. — Pro potu dabatur decoctum hordei cum acido vitriolico. Venter pluries a pulveribus mo-

Digitized by Google

tus, eiuſdemque naturae materies educta eſt. Paroxyſmi interim frequentes, prioribus ſimiles, nox inſomnis, inquieta; ſitis multa, pulſus frequens, deliria nulla.

Die 29. Praeſcribitur Potio laxans ex tamarindis & ſale anglico cum rhabarbaro. Praeter haec vero balneum ordinatur. Alvus ſaepius a purgante movetur, & ſimul duo vermes, ex aſcaridum lumbricoidum familia, excernuntur. Aegrota frigidam pro potu adpetens, porrectam avidiſſime bibebat; urinas copioſas mingebat. Nox ſimilis nocti praeterlapſae.

Die 30. Quo tempore Medicus ordinarius aegrotantem ulterius tractare, ob abſentiam, non potuit, miliaris albae eruptio ad ipſam faciem contigebat & ad collum. Alvus quater mota. Paroxyſmi eadem violentia, & crebrius invadit, Miliare Exanthema ad ipſum nunc pectus extenditur.

Die 31. Eadem medicamina porrigebantur; morbi ſymptomata eadem, niſi quod alvus adſtricta fuerit. Cum ad veſperas vidiſſem aegrotam, ut laudani liquidi guttas 25., omni bihorio aſſumeret ſuaſi: aliis nempe, tum propriis, tum alienis obſervationibus convictus, magnas ſaepe *opii* doſes in hoc morbo ſine noxa perferri, magnamque has ſaepe virtutem exſerere, uti WHYTTIUS aliique exemplis pluribus confirmant,

atque in actis *Edimburgenſibus* aegroti iniicitur mentio, cui ad ducentas quinquaginta guttas laudanum liquidum pro doſi fuit porrectum (*). Quemadmodum & HILLARY, in fortiori tetano, opium nycthemeri ſpatio ad grana ſexdecim, quin ad viginti, propinavit. Quodſi igitur praeſcripta opii doſis ſoporem non induceret: omni bihorio ſimilem laudani doſin porrigi iubebam. Aſt mox a prima opii porrectione, ſomnus ſex fere horarum inducebatur. Secunda nihilominus porrecta eſt doſis, atque iterum ſomnus per quinque horas hoc remedio provocabatur.

Die prima Auguſti dolores graviſſimi; & dorſales vertebrae in arcum extrorſum diſtendebantur. Brachia & manus capiti admovere nullatenus poteſt aegrota. Tantam igitur morbi pertinaciam videns, licet vermibus non parum a me tribueretur, cum tamen a praegreſſa laeſione externa primum orta fuiſſent tetani ſymptomata, iuſſi, ut tranſverſa ſuper ulcus pedis ſectione cutis ſana diſcinderetur, ſicque funeſtus illius cum caetero corpore conſenſus auferretur. Alvum praetera clyſtere emolliente reſerari ſuaſi, & indica-

(*) WHYTT, on nervous diſordres, p. 441. — Medical eſſays of a Society of Edinb. Vol. I.

tioni ſatisfacere ſtudui, quae a vermibus & ſaburra primarum viarum derivari poterat, non ignarus, opio vim nullam, niſi ſoporiferam, in nervos eſſe, in quantum a crudis, aut a corrupto ſomite tubus inteſtinalis non probe eſſet repurgatus; ut & RICHTERUS pro axiomate poſuerit; quandocunque *opium* in tetano aegrotos reddat *ſomnolentos*, ſignum eſſe, hoc remedium non convenire (*). Sequentia igitur hic ordinata ſunt: R. Mannae elect. unc. 1 ½; ſalis anglici unc. 2. ſolv. in aqua. Colat. librae 1., adde pulveris ſeminum Cinae dragm. 1 ½; capiat vaſculum dimidium quovis bihorio, donec alvus reſpondeat. Reſpondit vero pluries, & cum illa, novem vermes eiecti ſunt. Balneo quoque aegrotam immitti praeſcriptum fuit.

Die 2. *Auguſti*. Puſtulae miliares, in aliis partibus iamiam evaneſcentes, ad abdomen repullulant. Dolores ſaevi, & convulſiones tonicae frequentes; dorſum magis magiſque in gibbum incurvatur. Pulſus arteriarum centum erant in minuto primo. Hac die atrox dolor *calcaneum pedis ſiniſtri* vexat, totamque dein noctem ſub dorſi cruciatibus tranſegit aegrota. Oculi lacrymantur; os corrugatur & ſurſum verſus oblique attrahi-

(*) Chirurgiſche Biblioth. VI. B. p. 574. 696.

tur ; maxillae ſibi admodum adpreſſae, ut difficulter oblata ſorbere liceat. Brachium dextrum hodie fere liberum eſt ; crevit vero difficultas in ſiniſtro. Praeſcripſeram pulveris radicis valerianae Scrup. 1., Sem. Cinae, mercurii dulcis â gr. 10., quam doſin omni trihorio, diei tempore, repetendam ſuaſi : cum a *mercurio*, non ut *vermifugo* ſolum, ſed & *ſalivationem* excitante remedio, prout recentiorum obſervationes in tetano iubebant, plurimum hic exſpectarem. Mercurialium enim frictionum in tetano uſum ſummum docuerunt praecipue experimenta Medicorum in India occidentali degentium, ubi morbus hic *endemius* eſſe ſolet ; & de *ſalivationis*, mercuriali remedio inductae, in tetano efficacia, pluribus DONALDUS MONRO (*). Quatuor ergo doſes pulverum praeſcriptas adſumebat hodie aegrota, & infuſum chamomillae potabat. Alvus bis hac die fuerat excreta.

Obſervabam nunc columnae vertebralis incurvationem quamplurimum auctam fuiſſe: Sed aliud mox ſymptoma annunciabatur, quod ab aliis practicis, in adultis ſaltem aegrotis ex tetano, obſervatum eſſe non memini. Praeter gibbum

(*) Praelectiones Medicae ex Cronii Inſtituto p. 86.

enim in puella noſtra ſubito fere exortum, cum antehac recta corporis gaviſa eſſet conformatione, praeter hunc *gibbum*, inquam, in utroque thoracis latere, praecipue ſiniſtro, *duo cava* pollicem fere profunda, aliquot pollices lata, tranſverſa, ſat longa, inaequalia, a retroactis in cavum pectoris & recurvatis plurimum coſtis, offerebantur. Tum cava iſta, ſub mammis, thoraci laterali impreſſa, tum gibbus, ceſſante licet per aliquot tempus ſpaſmo, nullatenus evaneſcebant. Virium magna proſtratio, ut balneum, quo pluries in die utebatur, non niſi unica vice potuerit immitti hodie. Ad veſperas huius diei opium, ad grana duo, cum unguento digeſtivo combinavi, ulcerique imponendum praecepi. Cataplaſma quoque anodinum admovebatur parti exulceratae, & clyſter emolliens iniiciebatur. Interius quoque de novo ad opium confugi, & omni bihorio guttas 12. laudani liquidi porrexi. Bis porrectum erat remedium; nox tamen parum quietis habuit; alvus bis exonerata.

Die 3. Rediit aegra ad pulveres ex Valeriana, ſemine Cinae, & Mercurio: ſequebatur alvi excretio dura & parca, ſed ſex vermibus commixta. Porrecto clyſtere, alii, numero quinque, deiiciebantur. Paroxyſmi mitiores, oculi non lacrymantur, oris nulla corrugatio. Brachium ſiniſtrum ad caput necdum deferri poteſt; inte-

rim dolor non perſentitur; faciles in crure dextro motus ſunt ; ſiniſtrum vero rigidum eſt , & dolores in calcaneo valdopere ſaeviunt. Pulſationes arteriarum centum & octodecim in minuto ; ſitis aucta . Miliaria protinus diſparuerunt .

Hanc diem nox moleſtiſſima inſequebantur , phaenomena : dolores tam in calcaneo, quam in dorſo , violentiſſimi ; ſitis magna , alvus quater depoſita ; arteria centies in minuto digitum feriebat .

Die 4. Horis matutinis , frigus aegrotam corripit , exacerbatur febris ; ſpaſmi, ſeu convulſiones tonicae de novo affligunt & calcaneum inprimis ferocior dolor perterebrat . Praeter heſternae diei medicamina , dabantur omni bihorio viginti quinque guttae laudani liquidi. Interim nox heſternae prorſus ſimilis : alvus dura , dein albumini ovorum ſimilia , bis excernit .

Die 5. Clyſter iniiciebatur, & pulveres praedictos aegrota continuabat : ter alvus movetur hodie vermiſque iterum prodit , cum aliquo ſymptomatum decremento . Additur quaedam jalappae portio pulveribus praedictis : alvus abhinc copioſa .

Die 6. Pulveres iidem , ſed abſque jalappa, continuantur. Levis horror matutinis iterum horis obſervatur : ſymptomatum autem magna in melius converſio, niſi quod abs omni ſomno diem terebat noctemque aegrota . Repetebatur laudanum

omni bihorio ad guttas viginti. Quatuor eiuſdem doſes ſomnum necdum cauſabant: hinc triginta guttae praedicto tempore porriguntur: ut igitur tempore 16. horarum ducentas iam huius remedii guttas abſque ſopore, aut ſomno etiam multo inſecuto, aſſumpſerit puella. Interim dolores evanuerunt, amboſque artus inferiores, ut in ſanitate, flexiles obſervo.

Die 7. Ob alvum clauſam clyſteres emollientes ter fuerunt iniecti. Doſis laudani liquidi omni bihorio ſumendi, erat guttarum quindecim: ſomnus abhinc fere nullus; ſed quieta fuit aegra, dolores plurimum imminuti.

Die 8. Pulveres interim ex Mercurio continuantur, &, ob alvum obſtructam, jalappa denuo ſuperadditur. Interim alvus abhinc non niſi bis aperta eſt.

Die 9. Continuantur praedicti pulveres, & omni bihorio tantum quindecim, in totum vero hac die 60. guttae laudani liquidi exhibentur. Clyſtere emolliente plurimae faeces & cum his duo iterum vermes educuntur. Somnus fere nullus, dolores in dorſo, ſed mitiores, perſentiuntur. De fame nunc conqueritur aegrota.

Die 10. Continuatur pulverum uſus, & bis in die liquoris anodini mineralis HOFFMANNI guttae 12. propinantur. Nox inquieta.

Die 11. De dolore femoris ſiniſtri magnope-

re conqueritur aegra, cum illi ad dorſum parumper eſſent mitigati. Plures cucurbitulae cruri affecto adpoſitae, parum levaminis attulerunt. Ad noctem dolores ad dorſum augebantur: illi vero ad femur, nequaquam imminuebantur. Alvus copioſa.

Die 12. Eodem ac heri medicamine uſa eſt aegrota; adiungebantur vero binis opiati doſibus, laudani liquidi guttae 12. Pulveres ex mercurio continuabantur ſine jalappae additamento. Nox inſequebatur quietiſſima, dolores nulli, virium conſcientia, motuſque libertas.

Die 13. Continuantur heſterna. Nox vero, priſtinae nequaquam reſpondebat: dolores enim ſaepe ſaepius aegrotam infeſtant.

Die 14. Data ſunt eadem ac heri medicamina, & femur adfectum pannis e lana, ſiccis, pluries perfricabatur.

Die 15. Unica tantum laudani doſis porrigitur: nox tamen optima.

Sed ſub matutinas diei 16. horas, aliqui tum dorſi, tum femoris dolores invadunt aegrotam. Clyſter iniicitur, nullum vero hac die anodinum porrigitur. Continuantur frictiones.

Diebus 17., & 18. Tum in pulveribus continuat aegra, tum unicam iterum opiati & liquoris anodini doſin aſſumit. Alvus pluries depoſita.

Tandem die 19. Ceſſatur in uſu pulverum

ex mercurio, poſtquam ſexcentum & quadraginta fere grana mercurii dulcis, abſque omni ſalivationis indicio, tempore ſexdecim dierum, fuerint cum inſigni morbi levamine porrecta; caetera ut heri; atque Enema porrigitur emolliens.

Diebus 20., 21., 22., & 23. omnia in melius convertuntur, niſi quod ultima hac die aliqui ad dorſum dolores notabantur. Ulcus ad pedem nunc demum clauditur ſanatum, & aegrota uſque ad diem 29. quotidie ad ſanitatem propius accedebat. Die vero 30. ad veſperas rigor aegrotam de novo invadebat & capitis dolor acceſſit ſine febris tamen ſignis a D. Doctore *Caretti*, qui ultimo tempore illam ut Medicus Noſocomii extraordinarius viſitabat, obſervatis. Cum vero diaetae error videretur huic mutationi anſam dediſſe; evacuans Medicina praeſcripta eſt, a qua alvus copioſe movebatur & aegrota ab omni incommodo protinus liberata eſt.

Sanitate igitur poſt aliquot dies protinus confirmata, Noſocomium puella deſeruit trigeſima nona, a qua petierat, die, hilariſque paternos reſalutavit lares in totum reſtituta, niſi quod dorſum aliquo adhucdum gibbo informe fuerit, licet tum hic aliquo modo, tum Coſtarum praecipue incurvatio quamplurimum fuerint imminuta.

Mirabilia certe in hac obſervatione occurrunt ſymptomata, quorum cauſſam ſi quis vermes

fuiſſe dixerit ; aliquam forte veriſimilitatem pro ſe habiturum eſſe non negaverim. Aſt vero, ſi pedis praecipue ſiniſtri, in quo vulnus erat, adfectionem conſtantem & principalem conſiderem, — ſi *opii*, in tam magna doſi porrecti, non tamen ſomnum inducentis, virtutem, — ſi ſingularem tum coſtarum introactionem, tum ſubitam fere ſpinae dorſi in gibbum converſionem coram oculis ponam ; — ſi *mercurii*, tam longo tempore, tamque audaci doſi, abſque ulla ſalivatione, aſſumpti, eximiam in hoc adfectu efficaciam, contempler: fateor, me, non ex vermibus adeo, quam ex nervi laeſione, primam morbi originem quaerendam eſſe, pro certo habere ; licet ſaburram putridam vermiumque irritationem, aliquam mali partem habere ſaepius in tetano, aliorum quoque conſtet obſervationibus & hac noſtra ultro confirmetur :

Miliarium ad faciem eruptio, licet ab aliis iterum obſervata, rarior tamen eſt, neque tam ſaepe mihi, licet quamplurimis Epidemiis adſtanti, viſa. Sed haec ipſa eruptio, quocunque in loco facta ſit, mirum ſatis phaenomenon offert : quod, cum ex febris aliorumque morbi ſymptomatum concomitantium natura repetendum vix inveniam, non dubito nervoſae turbae productum fuiſſe. Caeterum, aegrotam toto huius morbi decurſu, mentis ſuae, ſub ipſis etiam tetani per-

frequentibus, & vix viginti minutis a ſe invicem diſtantibus paroxyſmis, ſemper manſiſſe compotem, contra BAUMERUM (*), ſatis probat, non omnes certe in tetano actiones mentales ſufflaminari, quod & HILLARY & VOGELIUS iam ſuis comprobaverant obſervationibus.

Sed ne demum patientia veſtra abutar, Patres Sapientiſſimi, paucis, ex utraque obſervatione hodie vobis expoſita, quod dictionis finis erat, concludam: neminem Chirurgum, tam ſimplicem ſemper, tamque regularem exſpectare poſſe morborum externorum paulo graviorum naturam, ut eorundem curam abs omni Medica cognitione, inſonter in ſe ſuſcipere audeat; neminem Medicum, illorum, quae ad ſuperficiem corporis contingunt, tam inexpertum eſſe debere, ut leviſſimarum licet aliquando laeſionum influxum in totum humani corporis ſyſtema, audacter ignorare praeſumat; ſed combinandam eſſe ab omnibus, tum Medicae tum Chirurgicae artis candidatis ſcientiam, qui cum aliquo in morbis debellandis ſucceſſu laborare, atque aegrotantium vitam ſibi commiſſam non ſummo exponere periculo contendunt.

(*) Diſſ. de tetano. Gieſae 1776. §. 1.

Vos igitur Chirurgiae Licentiati ornatiſſimi, *Franciſce Villa* Mediolanenſe, *Ioanne Baptiſta Armegnalli*, Oppidenſe, & *Franciſce Pella*, Marchivolenſe, qui cognitionum, quas in re Chirurgica vobis proprias feciſtis, ſpecimen honorificum dediſtis hodie, non tam arctis credite artem veſtram cancellis includi, ut ſuperficialium tantummodo morborum ſuperficialis tractatio vos exſpectet: non agnovit, o boni, non agnovit natura, vulgi in arte ſalutari diviſiones a ſaeculis barbaris & ab ignoranti & ſuperſtitioſo Medicorum, tam vertice, quam ingenio tonſorum, choro genitas: maior eſt artis veſtrae nobilitas, & magni adhucdum vos labores exſpectant, ut, quae Chirurgiam difficultates ad lectum premunt, ſuperetis viriliter. Non ſola ſectio eſt, quae Chirurgum conſtituit; ſed ſymptomatum, poſt operationem inprimis urgentium, recta moderatio: quae a tam diverſis dependet circumſtantiis, tamque magnas ſubinde requirit in arte medica etiam, cognitiones, ut, qui ſine his incedit Chirurgus, non ad illum, me hercle, virorum coetum pertineat, cui, iuſta ſatis fiducia, civium ſalus, quae illa Reipublicae eſt, committatur. Favete!

Digitized by Google

LUDOVICI CHRISTOPHORI ALTHOF

DETMOLDIA-LIPPIACI

OBSERVATIONES

DE FEBRE PETECHIALI

Goettingae 1784.

PRAEFATIO.

Menſe Decembre anni 1782. coepit in pago, ad horae circiter diſtantiam ab urbe noſtra ſito, cui nomen ELLERSHAUSEN, morbus oriri, qui omnes fere, quos invaſerat interimebat. Is, licet valde contagioſus poſtea factus ſit, lentius tamen initio propagabatur; ita ut duobus menſibus ſeptem tantum homines eo corriperentur; ex quibus ſex moriebantur, cum unica modo morbum ſuperaret. Sed Februario menſe ſequentis anni latius ſpargi coepit. Et tum quidem Praeceptor, mihi aeternum venerandus, Illuſtris RICHTER,

Peter-

Potentiſſimo Magnae Brittanniae Regi a conſiliis aulicis & Archiater, *ſimulque principatus Goettingenſis* Phyſicus, *hoc ipſo tempore Facultatis Medicae* Decanus *&c. certior factus eſt, graſſari in iſto pago febrem petechialem. Cumque ſuum duceret* Vir Illuſtris *curare, ut & miſeris ſucurreretur & caveretur, ne latius circumſerperet morbi contagium: comiter, uti ſolemne ipſi eſt, iuſſit, ut pagum peterem, morbique indolem indagarem. Laetus dicto obtemperavi, vidique complures febre bilioſo-putrida cum exanthemate petechiali decumbentes, inter quos tres in ipſis orci faucibus iam haerere ſtatim apparebat.*

Retuli fideliter Praeceptori, quae videram, iuſſitque Ille iterum, ut quotidie illuc reverterer, Illique, quomodo aegrorum res ſe haberent, narrarem, quo melius conſulere illis poſſet. Quanto autem ſucceſſu ſapientiſſimis conſiliis contra morbum iſtum pugnaverit Vir Experientiſſimus *ex pagellis hiſce pluribus apparebit. Auctor enim mihi fuit Idem ſummopere colendus Praeceptor, cui praeter hanc diſcendi opportunitatem tanta debeo, ut quae circa morbum hunc petechialem obſervaverim, pro inaugurali ſpecimine in lucem ederem.*

En igitur, Benevole Lector, *fidam narrationem eorum, quae de morbo iſto tironi mihi, in perdifficili arte obſervandi parum adhuc verſato, obſervare licuit. A commentationibus vero*,

ſymptomatumque ex ratiocinio enucleatione conſulto abſtinui, ſatius exiſtimans ſagacioribus iudicium relinquere, quam immature iudicando propriam imbecillitatem prodere.

In calce adieci nonnulla de Arnicae virtute antiſeptica collecta teſtimonia.

Nil monendum ſupereſt, Benevole Lector, *niſi quod memorem Te cupiam, primum qualemcumque tironis laborem aliquam ſemper veniam mereri.*

OBSERVATIONES
DE
FEBRE PETECHIALI.

Pagi ELLERSHAUSEN *naturalis deſcriptio* .

SItus eſt in montis facie leniter verſus Orientem, urbemque noſtram declivi. Ipſum pagi ſolum hinc inde interruptum eſt minoribus vallibus , quae pro viis inſerviunt & a ſuperiore montis parte aquas aut devehunt , aut in lacunas colligunt . Superiorem vero pagi regionem dividit nuper exſtructa via regia quae Caſſellas ducit . Ingruente hieme ſubſiſtendum erat in opere , dum uterque viae finis tetigerat iamiam *Ellershuſam* .

Late admodum ambeunt pagum arva variae fertilitatis , paucis modo interpoſitis pratis . Verſus Occaſum vero ad dimidiae horae a pago diſtantiam montis ſupraiacentis dorſum occupat ſylva , a Meridie ad Septentrionem decurrens. Iſta quidem obeſſe quodammodo videtur , quo minus ſolemnis in noſtra regione Favonius libere ſatis attingere ac perflare pagum poſſit .

Foci in pago numerantur (computatis nempe maioribus ac minoribus) 44. hominumque qui decimum quartum annum ſuperarunt , dum haec ſcribo , 128. Cuius rei notitiam debeo regio iudicii Leinebergenſis Praefecto ac in urbe Goettingenſe Praetori, *Viro Conſultiſſimo* COMPE,

Decurſus morbi .

Quod vero decurſum morbi , quem deſcripturus ſum , attinet ; permulta habet cum illo communia, quem accurate depinxit Ill. STRACK (*a*); in quibuſdam autem differt. Quae quo melius appareant , ſingula, quae in ſeptuaginta fere aegris obſervare mihi licuit , brevibus exponam .

Invaſit primum homines laſſitudo inferiores potiſſimum artûs infeſtans , cum dolore dorſi atque lumborum. Quaerebantur inſuper de capitis dolore in dies ingraveſcente cum horroribus. Acceſſit faſtidium cibi , nauſea , vomituritio ; in nonnullis vomitus bilis . Somnus pleriſque turbatus . Urina complurium a ſanorum ſpecie vix receſſit : quorundam iuſto turbidior ad eam fere acceſſit , quam iumenta reddere conſueverunt .

(*a*) Obſſ. med. de morbo cum petechiis , & qua ratione iiſdem medendum ſit . Carolsruhae 1766.

Linguam ſiccam habebant ex albo flavam. Alvus plerīſque obſtructa erat, vel ſaltem dura cum difficultate excrevit. Ventrem habuerunt ſubturgidum, duriuſculum; faciem pallidam, oculoſque cavos.

Non paucis vero, in primis ex ſexu foeminino, apparuit in capite tumor eryſipelaceus, quo pagi iſtius incolae ſaepius vexari conſueverunt abſque periculo. Hinc ſpernere coeperunt morbum, quaſi brevi leviter praeteriturum; donec maculae in cute apparentes, una cum ſymptomatum increſcente vehementia, timorem illis iniicerent.

Tertio enim, vel quarto die coepit horror in frigus mutari, hocque calore excipi. In plerorumque lingua cernebatur iam flava ſpurcities. Urina valde ſpumans, enaeorema oſtendit. Alvus perrexit obſtructa eſſe, venter cum quodam dolore tumere. Anxietatem praeterea queſti ſunt in praecordiis cum dolore tenſivo in cordis ſcrobiculo. Capitis dolor valde intenſus in pleriſque frontem, in paucis occiput ſimul occupavit cum vertigine, auriumque ſuſurro.

Multis e naribus tenuis ſanguis ſtillavit ſatis magna ſaepe copia, ita ut quartam menſurae partem haud raro implere videretur. Erat autem iſte ſanguis floridi quidem coloris, in coagulum tamen parum tenax haud ita multo poſt quam

emiſſus erat, coivit. Foeminarum quibuſdam coeperunt catamenia abundanter fluere, licet periodo nondum exacta.

Die circiter quinto, ſextove, acceſſit compluribus tuſſis ſatis vehemens abſque ſcreatu. Dolor praecordiorum auctus, in nonnullis latus tenit inprimis dextrum, iſque punctorius, ut pleuritidis ſpeciem prae ſe ferret. Alvus adeo ſegnis multis erat, ut medicina ſatis valida opus eſſet, qua moveretur. Lotium intenſius fuſcum craſſiuſque, cereviſiae inſtar ſaturatioris coepit magnam ſedimenti vim demittere furfurarum forma & colore. Exacerbabatur autem quotidie ſub veſperam febris, poſt mediam noctem remittens. Nonnullis ad matutinum tempus uſque protrahebatur acceſſio.

Quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo die comparuerunt in ſumma cute maculae petechiales, magnitudine aciculae capitulum ut plurimum aequantes, paſſim ſuperantes; digito compreſſi non evaneſcentes. Fuerunt, quibus ſub primo ſtatim morbi initio erumperent, ſecundo autem, tertiove die evaneſcerent. Loca autem, quae maxime amare viſae ſunt, fuerunt brachia ab humero uſque ad carpum; deinde femora, cruraque. Supra & inter ſcapulas quoque ſaepe cernebantur, ibique plerumque maiores. Neque in pectore, ventre, collo, defuerunt ſemper.

Fuerunt etiam , quibus in fronte comparuerint petechiae , idque in primis accidit , ſi mitra ea contecta fuerat . Figura plerumque circumſcriptae , interdum tamen ſubdiffuſae erant , quatenus ſcilicet limites earum exacte definire non licebat . Colorem exhibuerunt ex pallido rubrum , in quibuſdam intenſius rubentem ; imo atro-purpureum . Sub mortem palleſcere magis , ac in cinereum mutari videbatur .

Secundo vel tertio poſt eruptionem die ſenſim oculo ſeſe ſubtrahere maculae conſueverunt ; in nonnullis vero ad ultimum uſque morbi terminum , imo poſt mortem perſtiterunt .

In unica aegra , quae die morbi decimo ſexto moriebatur , vidi ſub quavis febris exacerbatione genas , pectus , brachiaque obduci atro rubore , ſub remiſſionibus evanido . Ceterum vibices , latioreſque maculas nunquam vidi .

Neque vero in omnibus aderat exanthema , iique , in quibus deerat , mitius plerumque aegrotarunt .

Petechias ſine febre non vidi (*a*) .

(*a*) Luculentum petechiarum abſque febre exemplum nuperius videri contigit in noſocomio Goettingenſi , in aegro haemorrhagia narium periodica , valdeque profuſa , quarto iam anno laborante . Ean-

Digitized by Google

Nunquam autem vel minimum levaminis ſpeciem attulit macularum eruptio, ſi unicam aegram excipiam, quae levatam ſe quodammodo profitebatur, quatenus nimirum ingens iſta anxietas, qua antea excruciabatur, remiſerat, ſimulac cum ſudore profuſo eruperant petechiae. Ego vero dubius haereo, numne febris potius remiſſioni, poſt mediam noctem contingere ſolitae, tribuendum fuerit iſtud levamen?

Ceterum in reliquis omnibus augebatur in dies ſymptomatum vehementia. Erat autem pleriſque permagna ad ſomnum propenſio: ſcilicet fuerunt, qui dies noctesque ſomno tranſigerent, ſub quo perpetuo fere ſomniando muſſitarent. Delirare quoque vigiles coeperunt. Urina ſedimine multo furfuraceo conſpicua. Lingua ſordida, ex flavo fuſca, procedente morbi impetu nigreſcere magis, findique coepit; neque ex ore tremulam protrudere valebat aeger. Labia ſimul,

---

dem in ipſo cauſſam agnoſcebat exanthema, ex qua epiſtaxis oriebatur: obſtructiones nimirum in infimo ventre, inque primis in ſyſtemate venae portarum cum impuritatibus primarum viarum. Evacuantibus enim adhibitis evaneſcebant petechiae, redibantque quoties ſolventibus denuo mobiles redditae ſordes erant; his eiectis illico iterum evanidae. Iiſdemque remediis ſaepius repetitis ſanata eſt integre haemorrhagia.

ac cum gingivis interna oris ſuperficies multa ſorde, ex fuſco nigra, ſiccaque quaſi cruſta obducta apparebat. Adeo autem tenax fuit iſta ſpurcities, ut os aperire vix poſſent, niſi ptiſana prius collutum. Alvus obſtructa magis quam aperta; quibuſdam tamen foetidiſſima multa, putridaque reddebat. Pulſus arteriarum celer, exilis, inaequalis. Calor attingenti moleſtam ſenſationem excitabat, augerique protracto attactu videbatur, ut ad eum ferme accederet, quem mordacem medici appellant. Quandoque etiam ſudor profuſus, horroribus interceptus, miſerorum vires conſumſit. Tuſſiendo perquam tenacia paſſim quidem reiiciebant; ita tamen, ut eo, quod maiori copia intus haerebat, valdopere opprimerentur. Quo factum eſt, ut reſpiratio valde laborioſa inter ſummam pectoris anxietatem redderetur. Quae cum ita ſe haberent, mox retracti ſunt oculi, naſus acuminatus eſt, oriſque labia livebant.

Ubi ad ſummum ventum eſt, extrema corporis palleſcere, frigere; pulſus magis adhuc concitari, intermittere; alvus inſcio aegro (perpetuo, ſed ſuaviter plerumque, interdum cum quadam ferociae ſpecie, delirante) reddi; tendines ſubſaltare; oculi illacrymari, dentibuſque aegri ſtridere coeperunt. Potum omnem, medicinamque faſtidiebant, neque dolorem moleſtiam-

ve amplius querebantur. Convulſi tandem interemti ſunt.

Neque tamen in omnibus eo uſque proceſſit morbi vis. Plurimi delirio vexati, anxietatem, capitiſque dolorem queſti, mox levati ſunt adhibita congrua medicina. Tuſſi multa exſcreabant, alvuſque noxia excrevit inter ſudores, urinaſque quam maxime turbidas ſedimine ante depicto notatas. Poſt viceſimum morbi diem, modo ocyus, modo ſerius, febre vacaverunt.

Fuerunt etiam, quibus pedes tumerent morbo declinante.

In nonnullis longior fuit, neque adeo vehementibus ſymptomatibus ſtipatus morbi decurſus. Neque tamen periculo propterea carebat. Querebantur hi initio anxietatem cum ardore, uti vocabant, in praecordiis; nauſeam, ructus, vomituritiones citra vomitum; capitis dolores circa orbitas. Pharmaco emetico moti vomebant pituitam cum bile, eoque parum levabantur. Apparuerunt circa diem quintum petechiae poſt triduum evanidae; coeperuntque tunc aegri delirare ſuaviter circa ſueta, ita tamen, ut fere credideris, mente illos apprime conſtare, niſi reſtituta ratione omnia, quae locuti erant, prorſus ignoraſſent. Dolores inprimis querebantur in mingendo, nec ſemper reddere urinam poterant. Urina autem clara limpida, colore vino rhenano recenti ſimilis, enat-

orema ſuſpenſum habebat fundum petens ; ſedimenti nullum veſtigium. Lingua albida, ſubflava ; venter tumidus cum duritie atque dolore. Pulſus cum celeritate parvus, tenſus, duriuſculus. Alvus pertinaciter obſtructa difficillime movebatur. Senſim ſenſimque his decrevit morbus adhibita ea medendi methodo, de qua infra agendum erit; donec quinta demum hebdomade in integrum reſtituerentur.

Ad unum vero omnes circa nonum morbi diem, nonnulli ocyus, graviter audire, multi ſurdeſcere prorſus conſueverunt, ſolebantque adſtantes eo maxime terreri. Neque tamen adeo conſpicua erat ſurditas in iis, qui morituri erant. Quibuſdam audiendi difficultas ſuperata iam febre per aliquod dies perſtitit, donec vires recuperare coepiſſent.

Cumpluribus quoque oculi rubuerunt. Nonnullis vermes mortui per os, pluribus per alvum prodierunt.

Neque infantibus tenellis pepercit malum. Nauſeam hi, capitiſque dolores, ut reliqui querebantur. Maculis prae adultis referti erant; inprimis autem venter valdopere tumebat. Qui cum ad medicinam capiendam difficilius perſuaderentur; vomitu plerumque, alvique deiectionibus arte elicitis, natura potiſſimum beneficio ſanati ſunt,

Quaenam cauſſae ad epidemiam excitandam potiſſimum fecerint.

Quam ardua res ſit, cauſſas accurate definire, quae ad populariter ſaevientes morbos producendos plerumque concurrunt, cui ignotum eſt, diſcat a SARCONIO. Neque in hac epidemiola difficultatibus caret cauſſarum extricatio. Unicam enim vix unquam ſufficere conſtat. Quamquam autem tiro ego imparem me ſentiam, in re, quae tantis dubiis premitur, certi quid proponere: meum tamen erit, nonnulla in medium proferre, quae niſi ſuffecerint morbo, de quo agitur, accendendo, formandoque; nonnihil tamen contuliſſe, ut febri noſtrae petechiali anſa daretur, mihi quidem videtur.

Cum aeſtate anni 1782. id ageretur, ut via publica, qua per pagum *Ellershauſen Caſſellas* ducit, muniretur, neque ante hiemem profligari opus potuiſſet; humus ſuffoſſus per hiemem iecit. Quo factum eſt, accedente inprimis pluvioſa tempeſtate, ut palus quaſi per totum pagum oriretur plauſtris onere gravibus, quae in via adeo trita quotidie fere vehebantur, magna vi ſemper mota atque everſa. Hinc aër, iſque cum anni tempore comparatus tepidus, non potuit non halitibus iſtis noxiis impraegnari, quos *marsh-effluvia* Angli vocant, ac quorum pernicioſa poteſtas

ad morbos eiuſmodi bilioſo-putridos excitandos extra dubium poſita eſt. Magna huic rei probabilitas accedit eo, quod in domibus prope viam utrimque ſitis primum exorſam peſtem eſſe, ac in iiſdem per duorum fere menſium ſpatium unice circumſerpſiſſe, obſervatum ſit; dum remotiores a via ſitae immunes a contagio exiſterent: donec procedente tempore & quotidie repetita infectione aër totius pagi contaminaretur; ac perpetuo incolarum mutuo commercio cum reliquis quoque contagium communicaretur.

Neque cum pagis *Ellershuſam* proxime adiacentibus communicatus morbus eſt, ſi ſingulos paſſim homines excipias, qui *Ellershuſam* frequentando, parenteſque ibi decumbentes viſitando, contagium acceperant.

Neque vero parum faviſſe malo videtur ſumma paganorum noſtrorum paupertas. Egregie enim comprobatum vidi id, quod obſervavit Ill. STRACK: *Quare etiam*, ait, *iſtud morbi genus magis pauperibus familiare eſt: qui propter ea quod ob boni cibi defectum*, *aliarumque rerum penuriam male nutriuntur*, *multa utique impura in imo ventre conficiunt*. Etenim fere omnes, qui morbo correpti ſunt, paupertate preſſi erant; vixque ex omnibus unus opum ſatis habebat. Et ſiquidem in paullo locupletiorum aedibus aliquis iſto morbo laboraverat, *is in puerorum ae-*

tate erat, qui quoniam ventrem eſu nimium implere conſueſcunt, impura colligunt (*a*).

Fama quoque tulit, ruſticos eiuſdem pagi ob pabuli inopiam, quod nempe ſicca, calidaque aeſtas anteacta parca manu ubivis fere ſuppeditaverat, magnam pecudum copiam mactaſſe, carnemque, quam minus recte ſervaverant, magnam partem computruiſſe; qua nihilominus avidi veſcerentur. Cum vero illi, hac de re ſaepius a me interrogati, rem prorſus ignorare pertinaciter praedicarent; certo comperire non potui, quid rei verum, quidve falſum fuerit.

Ferebatur quoque, peregrinos ab alio pago, *Haemeln*, ad quatuor horarum diſtantiam ab *Ellershuſa* diſſito, in quo morbus petechialis graſſabatur, ſecum *Ellershuſam* attuliſſe contagium. Certum eſt, in caupona omnium primo exorſum morbum eſſe.

Quaenam ſigna leviorem, quae graviorem morbum; quae mortem praenuntiaverint.

Levius in genere aegrotarunt, qui exanthemate caruerunt. Neque tamen minus graviter laborare videbantur, quibus paucae maculae, quam quibus multae erant.

(*a*) L. c. pag. 70.

Bene autem ſperare licuit de iis, qui procedente morbo mentis compotes manebant; qui tuſſiendo ſputa multa facile reiiciebant; qui pulſum habebant neque nimis celerem, neque valde exilem; quibus venter parum dolebat, neque adeo obſtructa alvus erat; qui horroribus calorem intercipientibus non admodum vexabantur; quorum denique peticuli colorem exhibebant ad roſeum magis, quam ad purpureum accedentem.

Maiori autem diſcrimine verſari viſi ſunt, quibus his contraria accidebant; qui primis ſtatim morbi diebus delirare coeperant, urinamque reddebant vel pallidam, vel intenſius fuſcam ac ſpumantem, ſedimine nullo notatam; quibus pituita pectus opprimebat; qui linguam nigram, ſiccam, fiſſam, tremulamque habebant, quibus os & gingivae nigra ſorde oblinitae erant; qui calore mordaci urebantur; quibus occiput dolebat; qui vermes mortuos eiecerant, aut ſtranguria excruciabantur inter deliria; quibus manus tremebant, tendineſque ſubſaltabant; quibus inſciis alvus urinaque reddebatur; quorum pulſus inaequalis erat, celer, exilis ac intermittens, aut ſtertens denique reſpiratio.

Mortem vero praegrediebatur delirium perpetuum, vix unquam interruptum; extremorum frigus inter ſudores; pulſus vix percipiendus; oculorum involuntaria illacrymatio cum dentium ſtridore.

Quaenam medendi ratio fuerit.

Quicumque ſupra enarrata ſymptomata inter ſe comparaverit, facile perſpiciet, morbi, quem deſcripſimus, indolem pro bilioſo-putrida merito habendam eſſe: ita ſcilicet, ut putridus fomes in primis viis haerens, niſi mature eiiceretur, progreſſu morbi ad ſecundas tranſire videretur. Omnis itaque curationis cardo in eo verſari debuit, primo, ut qui ſuberat in primis viis corruptus fomes rite eliminaretur; deinde ut putrida corruptio, quae humores iamiam contaminaverat, antiſepticis corrigeretur.

Dum autem de evacuantium utilitate ac neceſſitate conſtaret, quaerebatur, utrum ſurſum, an deorſum optime eiiceretur corrupta materies? Emeticis minus favere videtur ſupra laudatus Ill. STRACK, cum is plerumque purgantia his antepoſuerit. Attamen plures obſervationes apud eundem leguntur, quae ſalutares excitatae vomitionis effectus ſatis ſuperque probant (*a*). Neque negari poteſt, varias exiſtere huius morbi diverſitates, in quibus magis minuſve aut indicentur, aut

(*a*) Lib. cit. Aegrotus 24. 25. 27. 33. 46. In petechiis cum febre intermittente commendat vomitoria, quamvis extollat pariter purgantia, p. 248.

aut conveniant vomitoria. Veruntamen in noſtra epidemia cum ex lingua ſordibus obſeſſa, una cum capitis & praecordiorum dolore, nauſea, vomituritionibus &c. non in inferioribus modo inteſtinis haerere ſaburram, ſed ventriculum quoque impuritatibus utique refertum eſſe, ſuſpicari fas eſſet: emetica imperavit Illuſtris RICHTER; eaque tanto ac tali ſucceſſu exhibita ſunt, ut iis potiſſimum tribuendum cenſeam, quod ex ſeptuaginta aegrotis ne unicus quidem perierit, qui intra primum morbi quatriduum vomuerat, neque poſtea aut medicinam recuſaverat, aut diaeta graviter peccaverat, aut a muliercula propinatis ſudoriferis fatum praecipitaverat.

Itaque ſimulac conqueri homines inciperent, exhibita ſunt, iuſſu Praeceptoris, tartari emetici grana duo vel tria, cum ſalis mirabilis Glauberi totidem drachmis, aquae fontanae unciis tribus ſoluta, quae cochleatim quovis horae quadrante aſſumta magnam plerumque copiam bilis viridis cum pituita remixtae elicere ſolebant. Vomitum ſequebantur ſeceſſus aliquot per alvum aquoſae ut plurimum indolis. Abſtinuimus a tartaro emetico, ſalibuſque ubi maior erat ad diarrhoeam pronitas; eiuſque loco Ipecacuanham potius elegimus: quamquam & haec ipſa ſpem quandoque fruſtraverit. Unico autem hocce remedio complures in integrum ſtatum reſtituti ſunt, quos alias

morbo epidemico laboraturos fuiſſe ex ſymptomatum ſimilitudine colligere fas eſt. In quibus ſupprimere protinus in origine morbum non valebat vomitorium, his ingens tamen illico levamen attulit.

Suſpicor equidem, non evacuando ſolum profuiſſe emetica (ſcilicet fuerunt, in quibus perparum morboſi elicerent): ſed concutiendo forſan in his nervoſum ſyſtema ac diaphoreſin reſtaurando, vel promovendo, ſuſceptum contagium ex corpore propuliſſe. Quod quidem PRINGLII obſervatis apprime reſpondet.

Tantum igitur abfuit (ut cum SARCONIO loquar), ut vomitoria, primis morbi diebus exhibita, inimica fuerint, medelaeque adverſa; ut pleroſque potius optime diſpoſuerint ad id, quod curationis reliquum erat.

Quibus poſt vomitum febris rediit, aut ſordium mucoſarum ac immobilium ſigna ſupererant, vel latentium ſuſpicio, his ſal armoniacus propinatus eſt, quo ſordes ſolverentur & ad eliminandum aptae redderentur. Addidimus non raro Tamarindorum pulpae portiunculam, ut alvus obſtructa emolliretur, ſimulque colluvies in putredinem vergens quodammodo corrigeretur. Potui datum eſt decoctum hordei vel avenae, aceto & melle conditum, quae omnia, una cum medicamentis benefica Regiminis munificentia egentibus

colonis largiebatur. Poſt triduum deinde iterum purgabatur, ſive vomitorio repetito, ſive Manna aut Tamarindis, quibus ſal quidam medius adiectus erat. Et tum quidem multa foetentia, fuſca atque tenacia per alvum reddere ſolebant; licet largioribus plerumque iſtorum medicamentorum doſibus opus eſſet. In unico blandiora haec purgantia, quamvis larga doſi exibita, adeo nihil effecerunt, ut ad validiora, Ialappam ſcilicet, extractum panchymagogum Crollii, taliaque confugiendum eſſet. Per febrem autem hoc licebat, quae adeo exigua in eodem erat, ut tenaciſſima potius pituita obruta torperet natura.

Inſignis ſane fuiſſet clyſmatum in hiſce caſibus utilitas, niſi admodum difficilis fuiſſet eorum uſus: tum quia non aderat in pago Chirurgus, neque muliercula harum rerum gnara; tum quia inſigni metu ea horrebant ruſtici. Hinc factum eſt, ut ab egregio iſto auxilio abſtinendum eſſet, niſi ſumma neceſſitas urgeret.

In uno contra, vel altero ea erat inteſtinorum irritabilitas, ut Mannae uncia, aqua ſoluta ac per vices ingeſta, hypercatharſes fere ciere videretur. Horum excedentem irritabilitatem, aut, ſi mavis, colluviei putreſcentem acrimoniam, obtundendam putavimus, acidi illius elixirii, quod ab inventore HALLERO nomen habet, guttulas aliquot cuivis Mannae praebio commi-

ſcendo. Neque ſpes nos feſellit. Effectum enim eo eſt, ut noxia placide ſenſim educerentur, fortaſſe etiam quadamtenus corrigerentur, neque adeo aegre purgationem ferrent aegroti.

Expurgatis ita, quae mobilia erant, denuo mercatum eſt ſale ammoniaco, donec iterum impura in lingua apparerent; tumque ut antea purgatum. Et ſic in compluribus profligatus morbus eſt ſine aliorum remediorum auxilio. Quandoque vomitoria repetitis vicibus in uſum vocata ſunt; cum vel ſurſum praecipue turgeſceret materia, vel ſtimulo opus eſſe videretur ad excitandum torpidum in officio ſuo gaſtricum ſyſtema.

Eximium quoque remedium habuimus in ſpiritu Mindereri, cui Mannam plerumque nupſimus; eoque effecimus, ut, qua obruebantur aegri, tenax pituita ſolveretur & ex corpore educeretur; torpens vitae vis leni ſtimulo excitaretur, lenique ſimul diaphoreſi humores depurarentur: niſi forte per ſe iam nimia ad ſudores proclivitas adeſſet.

Antiſeptica vero medicamina quod attinet, ſive purgantibus ea iuncta ſunt, ſive ſeorſim exhibita. Sic ſalibus miſcuimus Tamarindos, Mannam, oxymel, cremorem tartari &c. ubi nempe putredo in primis viis potiſſimum haerere viſa eſt. Aſt ubi his ante iam rite purgatis, febris vehementia, calor mordax cum petechiarum

rubicundiore colore ſanguinem contaminatum prodèrent (quod nunquam fere contigit, ubi primis ſtatim morbi diebus vomitoriis rite purgatum erat) : opem petiimus a ſpiritu vitrioli , quem cum ſyrupo commixtum ea doſi exhibuimus , ut ſemiuncia intra nycthemeron conſumeretur . Inprimis vero adhibendum eum putavimus , cum nimiis ſudoribus aegri exhaurirentur .

Cortex quoque Peruvianus adhibitus eſt ; cum vires admodum proſtratae eſſent , ac circulantium humorum maſſa putredine iam infecta videretur . Neque tamen ſemper ſatis tutus fuit eius uſus : forſan propterea quod primae viae in pleriſque impuritatibus adhuc ſcaterent (*a*) .

Neque vero ſilentio praetereundum eſt auxi-

(*a*) Legantur in hanc rem tum antiſepticorum , tum ipſius corticis exhibendi cautelae , quae nempe debitam antegreſſam colluviei evacuationem reſpiciunt , in Ill. STRACK eximio libello , capite IX. , ubi de diverſis curationum generibus agitur. Nemo non perſpicit facile , ſatius eſſe in genere , de eliminanda potius , quam corrigenda ſaburra cogitare . Interim vel iungenda eſt interdum utraque methodus , vel ſeorſim inſtituenda : pro virium ſcilicet , aut putreſcentis acrimoniae ratione . In illis ſuffulciendae ſunt vires ad faciliorem evacuationem ; in his aut obtundendum aut alterandum eſt irritamentum , ad frangendam torminum , aliarumque ſymptomatum ferociam .

Digitized by Google

lium, quod Arnicae radix nobis praeſtitit in caſu propemodum deſperato. Quem paullo accuratius expoſitum in fine ſubiungam.

Fuerunt, quibus, uti poſtea comperi, parentes, cum vires admodum proſtratas cernent, ſpiritus frumenti hauſtus furtim, nec raro, porrigerent: neque eo febris exaſperari videbatur. Quod quidem argumentum eſſe poteſt putridae morbi indolis. Vinum quoque rhenanum generoſum non ſine fructu aliquibus datum eſt.

Proſtratis admodum protracto morbo viribus, interdum veſicatoria ac ſinapiſmos cum utilitate adhibuimus excitandi ſcopo: licet rarius his eguerimus.

Paucis, quibus longiorem fuiſſe morbi decurſum, quoſque evacuantibus parum levatos fuiſſe, ſupra poſui; qui perpetuo ſuaviter delirando ſtranguria vexabantur; quorum pulſus duriuſculus erat, atque teuſus; urina autem abſque ſedimento pallens, ita ut nervoſae febris ſpeciem morbus prae ſe ferret: his egregie conduxit infuſum radicis Valerianae ſylveſtris, florumque Chamaemeli, cui Rhabarbarum adiectum erat cum ſpiritu Mindereri.

Superata demum febre viribus, quarum magna clades facta erat, conſuluimus tinctura corticis peruviani, ſecundum praeſcriptionem Roberti Whytt parata, quam ſatis idoneam invenimus

ad amiſſum robur ſatis brevi plerumque tempore reſtaurandum.

Surditas plerumque cum febre evanuit; remanentem forte ſuſtulit veſicatorium emplaſtrum nuchae impoſitum.

Leucophlegmaticum pedum tumorem, niſi ſponte evaneſceret, profligavimus Squillae radice cum cortice peruviano.

A ſanis qui inter aegrotos ſemper verſari cogebantur, praecavimus, uti videtur, morbum uſu quotidiano elixirii vitrioli Mynſichti.

Generatim hactenus expoſita ea medendi ratione, qua morbum noſtrum petechialem adeo feliciter debellavimus, ut ex 75. aegrotis, inter ingentes medelae difficultates, quas paupertas aegrotorum creabat, quinque tantum perirent: peculiarem nunc duorum aegrorum hiſtoriam paullo minutius expoſitam ſubiiciam, quarum altera ſimul emeticorum utilitatem, & ſudoriferorum incaute adhibitorum perniciosam vim probat; altera inſignem Arnicae radicis efficaciam teſtatur.

AEGER I.

Sutor 30. annos natus, caelebs & graciliore habitu praeditus verſabatur aſſiduo circa lectum ſororis, febre petechiali graviter decumbentis.

Die 17. Februarii medicinam popoſcit, dolorem queſtus in fronte, praecordiis, dorſo, lumbis, ſemoribuſque, cum laſſitudine & horroribus. Cibum faſtidiebat, vomendique conatibus vexabatur. Pulſum habebat celerem, nec magnum; linguam ex albo flavam. Exhibitum eſt eodem die, ſuaſu Ill. RICHTER, vomitorium ex granis duobus tartari emetici, ſaliſque mirabilis Glauberi duabus drachmis aqua ſolutis.

Cum poſtridie illum reviſerem, vomuerat bilem multam tenacem, alvoque ſimul aliquoties motus erat. Inde levatum ſe affirmabat adeo, ut medicinam recuſaret. Ceſſaverant protinus horrores cum doloribus; redierat cibi appetentia. Cum autem ſorori continuo adſiſtere non deſiiſſet, poſt quartum fere diem denuo conqueri coepit. Moriebatur interim ſoror, quae a primo morbi initio omnem medicinam pertinaciſſime repudiaverat; ſutorque noſter moerore nunc & deſiderio ſororis, quam vehementer amaverat, conficiebatur.

Die demum tertio Martii ad eum vocabar, correptumque lipothymia inveniebam. Madebat autem ſudore grandibus guttis a facie, manibuſque deſtillante. Sumſerat enim pridie ſudoriferum, neſcio cuius generis, quod a circumforanea acceperat. Linguam offerebat tremulam, fuſcam, ſordidiſſimam ſicciſſimamque manibus tremebat. Pulſus erat cum incredibili celeritate par-

vus, tenſus, duriuſculus. Difficulter reſpirabat ingentemque anxietatem querebatur. Petechiae ſimul eruperant atro-purpureae in toto fere corpore; imo in fronte colloque. Oculi retracti erant intra orbitam; mentum, naſuſque acuminatus. Labia oris livebant genis pallentibus, luridiſque: adeo ut ſpectri inſtar adſpectum eius homines horrerent.

Exhibebatur vomitorium ex Ipecacuanhae ſcrupulo, cui ſulphuris antimonii aurati granulum adiectum erat; ſed fruſtra. Neque enim ſurſum, neque deorſum eiiciebatur quidquam. Et tunc aeger, ſe medicinam ultra aſſumturum negabat, de inertia ſcilicet ac vanitate omnium remediorum perſuaſus. Quo facto delirare coepit, neque mens, niſi aliquot ante mortem horis, rediit.

Die quinto Martii venter valdopere tumebat, multaque nigra putridaque per alvum effluebant aegroto inſcio. Tremulas manus ſemper fere agitabat quaſi flocculos colligeret. Tendines frequenter ſubſaltabant. Apparebat in facie ſudor, manibus pedibuſque frigidis. Reſpiratio difficillima erat.

Die ſexto Martii alvi fluxus eodem modo continuabat. Extrema frigore rigebant Arteriarum pulſus vix animadvertebatur. Difficulter & cum ſtertore reſpirabat, dentibuſque ſtridebat. Sub veſperam mens rediit, coepitque aeger po-

tum poſcere : Exultabant parentes ; periculum nunc ſuperatum , morbique vim fractam eſſe ſperantes . Media autem nocte vehementer convulſus obiit .

Poſt mortem ſupererant in cute maculae petechiales colore in plumbeum verſo .

AEGER II.

Mulier 46. annorum die 11. Februarii aegrotare coeperat . Die demum 14. auxilium quaeſivit . Querebatur autem frigus ſub veſperam quotidie rediens ; capitis ac in primis occipitis vehementem dolorem ; vertiginem , cum aurium ſuſurro . Linguam habebat flava ſorde obſeſſam ; pulſum celerem , non magnum . In brachiis iam apparuerant maculae : quae , quando eruperint primum , aegra ignorabat . Propinabatur vomitorium ex tartari emetici granis duobus , ſaliſque mirabilis Glauberi totidem drachmis acqua ſolutis.

Die 15. Vomuerat bilem, alvoque aliquoties mota erat, levatamque quadamtenus ſeſe profitebatur. Urinam meierat fulvam turbidamque. Praeſcripta eſt Mannae ſeſquiuncia, cum ſalis ſedlicenſis ſemiuncia , in aquae unciis quatuor ſoluta , cuius omni bihorio caperet cochlearia duo .

Die 16. Alvo mota non erat . Increverat autem capitis dolor , auriumque ſuſurrus . Lin-

gua denuo multa ſorde obducta apparebat. Dolor inſuper aderat in praecordiis. Urina eadem, quae pridie fuerat; pulſus paullo celerior. Emeticum iterum datum eſt ex radicis Ipecacuanhae ſcrupulo cum ſulphuris antimonii aurati granulo, cuius efficacia infauſto omine ad inferiora dirigebatur.

Die 17. Alvo ſaepius mota erat cum magna virium iactura, nihilque praeter aquoſum laticem excreverat. Eruperant autem petechiae innumerae in pectore, abdomine, cruribus, femoribuſque cum ſudore. Periinfirma aegra pulſum habebat praecelerem, valde exilem; linguam ex flavo fuſcam: delirare quoque coeperat. Propinatum eſt interea medicamentum hocce:

Rec. Pulv. cort. peruv. unciam. Coque ex aquae fontanae unciis decem & ſex, donec ſuperſint unciae octo. Sub finem coctionis adde: Pulpae Tamarindor. unciam, ſalis mirab. Glaub. drachmas tres. Col. D. S. *Omni bihorio cochleare unum capiendum.*

Die 18. Paullo melius habere viſa eſt. Dolor capitis tolerabilior; pulſus minus celer; lingua purior. Alvo ſcilicet reddiderat graviter foetentia. Perrexit eodem medicamine uti.

Die 19. Alvini ſeceſſus eiuſdem indolis continuaverant, lingua iterum purior facta. Pulſus ad naturalem fere celeritatem redire coepit.

Lotium ſedimen ſuſſuraceum demiſerat. Aſt ventrem habuit tumidum abſque dolore; graviter audiebat, magnaque ſimul debilitas urgebat adeo; ut efferre corpus in lecto non valeret. Propinatum eſt:

Rec. Pulv. cort. peruv. drachmas ſex. Coque cum aquae fontan. unciis decem & ſex ad conſumtionem dimidii. Sub finem adde: pulv. rad. Serpentariae virginianae drachm. duas Col. cum expreſſione adde: Vini boni Gallici uncias tres. M. S. *Singulis horis cochleare unum capiendum.*

Die 20. Febris exarſerat. Alvus obſtructa; lingua impura; pulſus denuo cum celeritate parvus; delirium; ſurditas. Praeſcribebatur pulpae Tamarindorum ſeſquiuncia cum ſalis ſedlicenſis ſemiuncia in aquae unciis quatuor ſoluta; cuius omni bihorio caperet cochlearia duo.

Die 21. Melius aliquanto habuit. Alvo quater mota eſt; noxiaque excrevit. Lingua purior apparebat. Exhibitus eſt ammoniacus ſal cum Tamarindis.

Die 22. Omnia denuo longe peiora ex vitio diaetae. Devoraverat enim pridie haud exiguam quantitatem raparum coctarum cum carne ſuilla. Frigus cum calore alternans. Alvus aegra inſcia reddita cum urina. Venter tumidus erat; pulſus celerrimus ac debilis. Reſpiratio perquam labo-

rioſa cum tuſſi. Deliria multa. Lingua fuſca ſiccaque. Praeſcripſimus decocti corticis peruviani uncias octo cum pulpae Tamarindorum uncia una & tartari tartariſati drachmis duabus, eiuſque quavis hora cochleare unum capiendum iuſſimus.

Die 23. Deliria perpetua. Pulſus cum inſigni celeritate valde exilis. Calor mordax. Lingua ex fuſco nigra, tremula. Labia ac gingivae cum dentibus multa ſorde conſpurcatae. Urina & alvus involuntaria.

Die 24. Pulſus coepit inaequaliter, nec raro intermittere; reſpiratio ſtertoroſa fieri. Calor erat ſummus; deliria non interrupta; excretiones involuntariae inſcia aegra. Quae cum ita ſe haberent, ac parum profecto ſpei relictum videretur, Arnicae radicem praeſcripſit Illuſtris RICHTER ita, ut alternis horis caperet pulveris grana decem & quinque.

Die 25. Calor fuit moderatior; pulſus rarius intermittens. Alvum exoneraverat mente conſcia. Deliria rariora. Continuata eſt, ut pridie, Arnica.

Die 26. Dolorem queri coepit ab excoriatione regionis lumborum, cui ſaccharo Saturni, aqua ſoluto, medebamur. Pulſus perraro adhuc intermittens coepit a celeritate remittere; calor moderatior fieri. Deliria nulla. Alvo mota erat, linguaque purior paullo, & humida apparebat. Cutis exiguo, aſt aequali ſudore madebat. Uri-

na multum ſedimenti demiſerat. Tuſſiendo tenacem pituitam exſcreabat.

Die 27. Pulſus non amplius intermiſit, ſed elatior paullo evaſerat. Calor ad naturalem ferme acceſſit. Surditas vero eadem manſit, caputque pariter gravatum, ut ad erigendum illud impar eſſet. Alvo bis quotidie movebatur cum euphoria; lingua enim in dies magis depurari perrexit. Sedimen in lotio ut pridie. Idem medicamentum continuatum.

Die 1. Martii. Febris indies deſcreſcere perrexit, alvuſque rite excerni. Praeter caput, viriumque defectum nihil queſta eſt.

Die 2. Lingua ſordibus fere libera fuit. Ingentem autem infirmitatem aegra prodidit, adeo, ut vires eius vix ſufficerent brachiis attollendis. Adiectus itaque cuivis Arnicae pulviſculo eſt corticis peruviani ſcrupulus dimidius.

Die 5. Bene tulerat medicamentum; vires enim recuperare coepit. Hypoſtaſis in lotio quotidie minuebatur: Alvus officio ſuo non defuit. Petechiae, quae ante aliquot dies adhuc ſub cute micaverant, protinus nunc evanuerant. Pulſus tardior, maiorque factus eſt, cibumque aegra appetere coepit, lectum relictura, ſi modo per capitis gravitatem liceret. Et dum demum comperi, a longo iam tempore aegram laboraſſe tinea capitis, quae ſub morbo exſiccata fuerat;

Veſicatorium itaque largum impoſitum eſt nuchae; ſimulque praeſcriptum extractum Arnicae, vino antimoniato HUXHAMI ſolutum.

Die 7. Inſigniter eo levatum caput eſt, auditusque hactenus perdifficilis redire coepit. Efferre tum caput potuit, lectumque per tempus linquere.

Continuatum eſt per aliquot dies idem medicamen, repetitoque veſicatorio caput in totum liberatum. In integrum tandem reſtituta eſt ope corticis peruviani.

In aliis nonnullis ad Arnicam confugimus; nec ſine omni fructu. Neque tamen in his adeo luculentos effectus edidit: licet nunquam nocuerit.

Quid valeat Arnica in febre petechiali.

Brevibus adhuc ratio reddenda eſt, cur ad Arnicam potiſſimum confugerimus; quidve praeſtet Arnica in febre petechiali, & ſub quibus conditionibus, indicandum.

Minus idonea videri poſſet primo intuitu Arnica in morbis putridae indolis, de cuius quippe vi potenter reſolvendi abunde conſtat. Hanc enim multi ſane auctores teſtantur & inter alios IUNCKER (*a*), VOGEL (*b*), COLLIN, claſſi-

(*a*) Conſpect. Therap. gen. pag. 173. n. 3. 4.
(*b*) Hiſt. mat. med. pag. 51.

cus ille de Arnica monographus (*a*). Prae caeteris vero ſueta *Sibi* acribia in numeroſis morbis reſolventem Arnicae virtutem corroboravit Illuſtris MURRAY, Praeceptor mihi aeternum venerandus, in incomparabili *Apparatu medicaminum* (*b*). Iam vero reſolvere ulterius humores, per morbum iam nimium ſolutos, artis regulis vix reſpondere videtur.

Attamen varia ſunt, quae plantam noſtram commendant in eiuſmodi morbis. Primo enim gaſtricus ille latex, qui in febribus bilioſo-putridis ſubeſt, reſolutionem non admittit modo, ſed poſcit. Nam in hoc ſolvendo, eliminandoque curationis cardo vertitur in morbo petechiali, qua in re conveniunt eximii Viri, BALDINGER, quem Praeceptorem olim habuiſſe nunquam poenitebit (*c*), STRACK (*d*), VOGEL (*e*), DE MERTENS (*f*), aliique. Neque in quavis petechiali epidemia, neque in quovis morbi ſtadio adeo pertimeſcenda eſt ipſorum humorum reſolutio;

(*a*) Obſervat. circa morbos acut. & chron. P. IV. & V.
(*b*) Vol. I. pag. 160.
(*c*) Krankheiten einer Armee, edit. IIda pag. 428.
(*d*) In libr. ſupra cit. quavis fere pagina.
(*e*) Praeleƈt. pag. 100.
(*f*) Beobachtung der faulen Fieber &c. verſ. germ. pag. 58.

tio ; ſed , protracto demum morbo, ex mora vitioſi inquinamenti ſubnaſcitur. Verum enim vero praeter vim reſolventem , inſigni Arnica gaudet virtute antiſeptica , ita cum illa coniuncta , ut pluribus indicationibus ſimul reſpondeat . Neque ſemper contrarias ſibi invicem eſſe binas has vires , de eo exempla praebent Camphora, ſal ammoniacum , aliaque quae reſolventem vim exſerunt ſimulque putredinem potenter arcent . Sed audiamus de efficacia Arnicae in morbis putridis Cel. COLLIN : *Flores Arnicae* , inquit , *in morbis putridis inertia vaſcula excitant , motum in illis reſuſcitant , ſtagnantes in textu celluloſo humores attenuant , corrigunt, movent & excretioni aptos reddunt* (*a*) . Radix vero praeſtat reliquis plantae partibus in avertenda & ſubigenda putredine ob aroma iunctum . Hinc & opem eximiam praeſtat in dyſenteria (*b*) . In dyſenteria putridiſſima ſpecificum conſtituit (*c*) . Item in gangraena proficua eſt (*d*). Plura praeterea affert Cel. COLLIN , quae uſum radicis noſtrae in ſebre petechiali valdopere ſuadent . Tonicas car-

(*a*) L. c. P. V. pag. 205.
(*b*) L. c. pag. 209.
(*c*) STOLL Rat. med. P. II. pag. 422.
(*d*) COLLIN l. c. pag. 323.

diacas vires edere eam affirmat; ſolida roborare, diſſolutos humores compingere, inſpiſſare; putredini reſiſtere, natam in C. H. corrigere (*a*). Oris amarorem, nauſeam, praecordiorum anxietatem, a putrida materie in ventriculo haerente ortam, vincit; ſed tunc tantum hoc negotium Arnicae committendum vult, ſi emetica propinandi opportunitas deſit (*b*).

Tympaniticum tumorem a ſordibus putridis ortum vi ſua antiſeptica, tonica & roborante diſcutit, tollit: materiae peccantis foetorem emendat, illius excretionem per alvum & alias vias promovet (*c*).

Delirium & varios ſenſorii communis ac nervorum affectus ab acri putrido, vi ſua cardiaca roborante, putredinem corrigente, curat (*d*).

Haemorrhagias a ſanguinis diſſolutione putrida ortas ſedat & petechiales maculas ſaepe cito diſpellit (*e*).

Contra retrocedentium exanthematum materiae acrimoniam humores defendit; vires erigit & ſuſtinet ad illam ulterius coquendam, eam-

(*a*) L. c. pag. 316.
(*b*) Ibid.
(*c*) Pag. 317.
(*d*) Ibid.
(*e*) Pag. 318.

ſque denuo, ſive per locum primo a natura ſelectum, ſive per alias vias, qualitati materiae magis mutatae aptiores; e corpore eliminandam (*a*).

Floribus Arnicae; ubi penetrans, aperiens, diſcutiens medicamentum ſimul cum roborante antiſeptico requiritur, optime ſociatur radix: ambo enim conveniunt, quod antiſeptica ſint; differunt vero in hoc, quod flores valde penetrantes, ſolventes, aperitivi &c. ſint; radix autem praeter maiores vires antiſepticas virtutes roborante gaudet, & blando; quo imbuta eſt, aromate vires magis reficientes, cardiacas in vera debilitate exſerit, quam flores (*b*).

Minime vero convenit, ubicumque pulſus dilatatus, plenus, fortis, ſolidus aut durus adeſt cum dolore topico permanente (*c*).

Pari modo Cel. STOLL multis encomiis exornat Arnicam eiuſque flores potiſſimum in febribus putridis (*d*). Conditiones vero, ſub quibus profuerint, accurate deſcribit; Poſcit nempe praemiſſam primarum viarum purgationem, &

(*a*) Pag. 317.
(*b*) Pag. 318.
(*c*) Pag. 319.
(*d*) Rat. med. P. III. pag. 159.

Digitized by Google

inflammationis cuiuſvis abſentiam. In primis tum conveniunt pulſu aut naturali aut ad eundem proxime accedente, aegro nihilominus debiliſſimo; lingua arida, muco multo ſordeſcente obducta; aegro praeprimis ſtupido, tardo, graviter audiente, ſomnolento, muſſitante, ſubdelirante; & in humorum denique pituitoſo lentore.

Ventriculum afficit Arnica peculiari modo; nauſeam, imo vomitum parit in quibuſdam, aut innoxium, aut ſalutarem. Plerique ſine manifeſta criſi & pedetentim convaluerunt. Urinam in multis croceam & ferme ictericam cum morbi levamine tinxit. Quidam levi ictero perſundebantur, in oculorum albo potiſſimum conſpicuo (*a*).

Quod vero modum Arnicam exhibendi attinet, optime porrigitur radix in pulvere cum ſaccharo commixta, ut palato conſulatur. Qui vero delicatuli pulverem reſpuunt, iis infuſum aquoſum, vel vinoſum, vel mixtum propinare iubet COLLIN (*b*). Radix enim non fert diuturnam coctionem, quam flores contra ferunt, imo requirunt (*c*).

Plures centenos aegros ſaepe miraculi inſtar,

(*a*) L. c. pag. 162.
(*b*) L. c. pag. 821.
(*c*) STOLL l. c. pag. 321.

hoc ſimplici medicamento morti eripuiſſe ſe teſtatur COLLIN (*a*).

Haud exiguum inſuper momentum rei addet teſtimonium duorum egregiorum, illuſtriumque in arte Virorum pro Arnicae radicis virtute antiſeptica, MURRAY ſcilicet, qui in eximiis Suis praelectionibus in materiam medicam plura tradere ſolet de hac ipſa Arnicae vi; & RICHTERI, qui eandem experientia ſaepe ſaepius comprobatam Se vidiſſe, plus vice ſimplici cum auditoribus ſuis communicavit. Neque ſolum in morbis putridis, ſed & cachecticis, cum inſigni debilitate coniunctis, eam valde commendat.

Numeroſis quoque experimentis extra corpus inſtitutis comprobavit efficaciam Arnicae cum in praeſervandis a putredine carnibus, tum in hac orta iam corrigenda, Cel. COLLIN (*b*); indeque coniicit, radicem, Arnicae virtutem poſſidere ſexies, vel ſepties magis antiſepticam, correctoriam, ſaltem carnium putridarum, quam corticem peruvianum (*c*). Quae cum legerem, cupido mihi naſcebatur, experimenta iſta cum carnibus repetendi. Sequenti autem modo proceſſi.

(*a*) P. V. pag. 132.
(*b*) L. c. P. V. append. pag. XIX. ſeqq.
(*c*) Ibid pag. CIX.

Die 29. Decembr. 1783. Immiſi quatuor vitris, ſingulis carnis bovinae recentis uncias duas cum aquae fontanae unciis quatuor; numeriſque 1. 2. 3. 4. vitra diſtinxi. Nr. 1. addidi pulveris corticis peruviani optimi unciam dimidiam; Nr. 2. idem pulveris radicis Arnicae quantum. Nr. 3. & 4. ſuae ſorti reliqui, omniaque in hypocauſto quotidie calefacto ſepoſui:

Poſt 72. horarum ſpatium coeperant iam carnes, quibus nihil additum erat praeter aquam, corrumpi foetoremque putridum ſpargere. Poſt 96. horas coepit quoque in n. 1. odor mucidus inſtar ſtagnantis aquae percipi; n. 2. integerrima. Carnes interim iſtae, quae ſuae ſorti relictae erant abſque additamento, horrendam Mephytim ſpargebant. Et tum quidem cum n. 3. iterum commiſcui pulv. cort. peruv. opt. ſemiunciam, & n. 4. radicis Arnicae totidem, ceſſavitque in utroque ſubito foetor. Attamen in n. 3. ſupererat aliquod odoris iſtius mucidi veſtigium.

Undecimo die poſt primam immiſſionem manifeſtior paullo evaſerat odor iſte mucidus in n. 1., cuius in n. 2. nullum reperiebatur veſtigium; niſi forte odor Arnicae proprius illum obnubilaverit. Nr. 4. integerrima pariter manſerat; dum n. 3. iam manifeſte foeteret ex putredine. Conſiſtentia carnium in omnibus fere eadem, firmior nempe naturali.

Die 14. N. 3. adeo horrendum foetorem edidit, ut in conclavi diutius ferri non poſſet. Superficies mucore obducta erat, carniſque conſiſtentia in diſſolutionem tendebat. In n. 1. aliquod quidem corruptionis veſtigium aderat, neque tamen manifeſte adhuc foetebat.

Die 15. In n. 1. vehementer quoque invaluerat putredo, adeo ut etiam hoc vitrum ex hypocauſto removere cogerer. Conſiſtentia parum mutata erat.

Die 16. N. 4. iam quoque Mephytim ſpargebat, n. 2. integerrima.

Et iam quidem, dum haec ſcribo, qui eſt undeviceſimus dies, ne minimum adhuc putredinis veſtigium diſtinguere queo in ea carne; cui a primo ſtatim initio Arnicam iunxeram, niſi quod mucoris paullulum in ſuperficie aquae ſupernatet.

Patet itaque vel ex levidenſi hoc experimento, antiſtare Arnicae radicem cortici peruviano cum in arcenda, tum in corrigenda putredine extra humanum corpus. Temporis anguſtia impedior, quo minus plura iſtiuſmodi pericula facere, ſingulaque pluries repetere poſſim.

Finis Quarti Voluminis.

Digitized by Google

Digitized by Google

00564 2328